CHEMIATRIA,

Hoc eſt,

MEDICINA NOBILI ET NECESSARIA SUI PARTE, CHEMIA, INSTRUCTA ET EXORNATA,

In theatrum Illuſtris ad Eliſtrum Ruthenci ſermone Panegyrico producta

à

THOMA REINESIO Thur.

Philoſ. & Med. D. Phyſico Rutheno-Gerano.

P. Andr. Matthiolus ad Andr. de Blawen.

l. 4. Epiſtolar. f. 180.

Auſim dicere neminem Medicum abſolutum eſſe poſſe, imò nè mediocrem quidem, qui in nobiliſſima deſtillandi ſcientia non ſit exercitatus: id cum alibi, tum inprimis in chronicis morbis eſt animadvertere, qui citrà metallica devinci vix poſſunt. Nec deſunt exempla magnorum medicorum, qui remediis Chymicis magnos effectus in curandis agris ediderunt.

GERÆ RUTHENICÆ

Excudit Andreas Mamitzius.

ANNO CHRISTI

cIↄ Iↄ CXXIV.

1872

610. A-3

Crato à Crafftheim archiatrus Cæſ. Præfat. Exerc. Scalig.

NON faveo hominibus perverſiſſimis præſtigiatoribus & mendacibus Paracelſiſtis, qui metamorphoſeis auri iactitant, ut homines auro emungant. Non enim ſunt hi qui divinam artem medicam norint.

Caſp. Hoffmannus Elect. Brandenb. Medicus & Prof. Francof. ad Viadrum Orat. de [illegible] immin.

FUmoſi Vulcani filij ſpondent ex furnis metallica miracula, iactant glorioſa in medicatione facinora, eructant magnificarum promiſſionum ampullas, tumeſcunt, ut tantum non crepent, ſcientiæ opinione in maxima rerum ignoratione. Tenent & alias artes, quibus nomen ſibi parant & crumenas exugunt. Captant exiſtimationem ex nomine Paracelſi, quod apud novitatum avidos gratioſum eſt, quaſi huic uni adſurrexerit & ſe nudaverit natura: proxima eſt conſpuere monumenta artis noſtræ Principum, cognitionem totius Naturæ ſibi attribuere, in ſe derivare artis peritiam omnem, aliis ignorantiam impingere & nequiter de eorum exiſtimatione detrahere: ſimplicibus verborum præſtigias & fumos offundere: maximè fugitant illos quibus [illegible] ſuſpectos ſe eſſe metuunt, nugacitatis verò ſuæ admiratores & præcones colunt venerabundi. Eſtque ex artis myſterijs non poſtremum, (addo) magnatibus annulos obtrudere, epilepſiæ ſcil. apotropæa, e Mercurio fixo & curcuma ad auri colorem ſophiſticato confectos, *quos cum vitæ periculo digitis, quibus cibos contrectant & ſumunt, illi geſtant.*

ILLUSTRI BARONI, GENEROSO DOMINO,

D^no HENRICO

Juniori, nunc & Seniori, RUTHENO, Dn. à Plawen/Dn. in Graitz/Cranichfeld/Geraw/Schlaitz & Lobenſtein/Conſilij Secretioris in aulâ Brandenburgica per Franconiam montanam præſuli eminentiſſimo, Dn. meo Clementi perpetuam felicitatem.

QVOD VETERES CONSVEVISSE inter præceptoria pulpita è formatoribus pueritiæ meæ auditum toties, lectumq́ue pòſt apud doctores mutos noveram, *ut, ſi quam artem deſinerent, eius inſtrumenta & inſignia, vel etiam opera, præſidi eius DEO in fano dedicata ſuſpenderent*, id ex eo tempore, quô me valetudini tuæ præficere voluiſti, *HEROS Generoſiſſime*, meditatus & molitus ſum aliquoties. Cum enim hæc honoris & officii ſedes, in quâ *Gener. Clem. T.* me collocavit, hoc poſtularet, ut omiſſis certè ſuſpenſis ſtudiis iis, quæ per pueritiam & adoleſcentiæ partem triveram

ram

ram, totum me medicæ ſerietati & actioni conſecrarem; non unum conſilium agitavi, ſub illuſtri nomine tuô luci publicæ committere quædam, quæ & exacti à me otij Academici rationem TIBI ac quibusque literatis redderent, & quibus velut ſcipionibus nixus, facibusque adjutus per ſpatioſa ſcientiarum tempe, & è Minervij cancellis ad Æſculapeium ſacrum contenderim, juventuti ſtudioſæ, cujus & in Gymnaſio tuo aliqua mihi cura data, probarent. Cogitabam ſubinde vel *Obſervationũ miſcellanearũ* è varia lectione mihi natarũ *libros*; vel *Critices* in ſcriptorib⁹ Græcis & Latinis quamplurimis *pericula iuvenilia*; vel *Chreſtomatheias philologicas*; vel *Errorum popularium enarrationes & contradictiones*; (quas quidem lucubrationes ſummis viris, & id genus ſcriptorum cenſoribus optimis, JOS. SCALIGERO, & FR. TAUBMANNO olim probatas, & ad typos confectas hactenus premo, interque forulos bibliothecæ meæ latere jubeo) vel *Syntagma de DIS STRIS* ſeu *Numini-*

bus

ulis commentitiis in Vet. Teſt. memoratis oſt Nobiliſſ. Seldenum JC. Anglum: vel *Antiquitatum Judaicarum & Rabbinicarum*, ab excidis per Titum Jeroſolymis, *ſyl-logen*; vel *ad libros illuſtris Joh. Franc. Pici Mirandul. de ſtudio humanæ & divinæ Philoſophiæ Notas*: vel *ſyſtema philoſophicũ* Diſputationibus Academicis ante hoc quatuordecennium à me habitis collectum & adornatum; vel *parœmias Græcas Mich. Apoſtolii* ad Codd. mſs. autori coævi & poſterorum fidem emaculatas & commentario illuſtratas TIBI, HEROS GENEROSISSIME, nuncupare; tàm ut lucem, quam à ſe ſperare nequijſſent, è Tuæ Generoſitatis ſplendore ſumerent, quàm ut ab iis juventus noſtra moneretur, non licere ἀνοργιάστους effractô oſtiô ſordidos & impolitos, &, ut Ariſtoteles loqui amat, ἀλούτους καὶ κονιορτοῦ πλήρεις ad ſuperiores & regias diſciplinas irrumpere: ſed εἰν πρῶτον ἀποδῦναι τὴν ἀγροικίαν, καὶ τὰ μικρὰ ἐπιτηδεῦσαι πρὸ τῶν μειζόνων, καὶ χορεῦσαι πρὶν δαδυχῆσαι, καὶ δαδυχῆσαι πρὶν ἱεροφαντῆσαι, uti oppidò

 quàm

quàm eleganter & graviter Synesius: *In Dione.* omnemque ad Philoſophiam & reliquarum diſciplinarum quamvis aditum ſine Polymatheiâ obſtructum eſſe: Sublimioresq; doctrinas huic ceu baſi ſuperſtruendas. Neque aliter primi nobis ad artes duces: Pythagoram Arithmeticum, Geometram, Medicum, Theologum, Legislatorem: Empedoclem Rhetorem, Poëtam, Philoſophum, Medicum fuiſſe Laërtius docuit; Eunapius dubitare ſe ſcribit, quam artium liberalium diligentiùs excoluerit Porphyrius; ea verò, quæ in philoſophia & ſcientiis tradidit, captum humanum ſuperare Suidas. Galenus etiam Dogmaticorum medicorum, ab Hippocrate princeps multiplicis doctrinæ ad invidiam peritus fuit; nulla enim ferè polymatheiæ pars, quam non ingenii ſui monumentis illuſtraverit, cujus rei teſtes erunt ejus περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων, & περὶ τάξεως τῶν ἰδίων βιβλίων libri: nemo eô feliciùs & copioſius ex omni antiquitate philologiæ ſtudia excoluit, ut è *Comm.* I. *in* VI. *Epidem,* & *l. de natura hum.* Hippocratis abundè liquet. *Apuleius Floridis* gloriatur ſe omnium artiũ *crateras* bibiſſe

bibiſſe, Poëticæ, Geometriæ, Muſicæ & Dialecticæ; *univerſos philoſophia inexplebiles ſcilicet & nectareos. Canit Empedocles carmina, Plato dialogos, Xenophon hiſtorias, Xenophanes ſatyras: Apuleius veſter hæc omnia.* Et quid profanos commemoro? Ipſi Eccleſiæ poſt Apoſtolos primipili *Patres* ſine ſeculari & multiplici doctrina ceu famulâ ad reginam omnium ſapientiam divinam nec admiſsi ſunt, nec voluêre admitti. *Clementem Alexandrinum* judicio D. Hieron. *omnium eruditiſsimum* mihi vide: *feruntur ejus inſignia volumina, plenaq; eruditionis & eloquētiæ, tā de ſcripturis divinis, quàm de ſecularis literatura inſtrumēto.* Ejus diſcipulū & in Eccleſiaſtica ſchola Alexandriæ ſucceſſore *Origenem omnia religionis noſtræ dogmata de Platone, Ariſtotele, Numenio, Cornutoq; cōfirmare quis neſcit?* Illud de immortali ejus ingenio taceri nequit, quod Dialecticam quoq; & Geometriam, Muſicam, Grammaticam & Rhetoricam, omnium Philoſophorum ſectas ita didicit, ut ſtudioſos

Catal. vir. illuſtr.

Hier. Ep. ad Magnum Oratorem.

quoq;

quoq; ſecularium literarum lectatores haberet, & interpretaretur eis quotidie, concurſusque ad eum miri fierent, quos ille propterea recipiebat, ut ſub occaſione ſecularis literaturæ eos in fide CHRISTI inſtitueret. *Quid Tertulliano eruditius & acutius? Apologeticus adverſus gentes pro Chriſtianis aliique eius libri cunctam ſeculi obtinent diſciplinam:* Idem de *Arnobio, Lactantio, Cypriano, Hilario, Auguſtino, Hieronymo,* ut ne de Græcis, *Baſilio, Gregorio, Amphilochio,* quid dicam, veriſsimum: *qui omnes in tantum Philoſophorum doctrinis atque ſententiis ſuos referciunt libros, ut neſcias quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem ſeculi, an ſcientiam ſcripturarum.* Scilicet, *ut lana bona fide purpuram potura certis prius inficitur medicamentis: ita literis doctrinisq; amœnioribus excoli animas, quod ait in Hortenſio Cicero, & ad ſapientiam excipiendam imbui præparariſq; decet,* ut è Baſili M. homiliâ parænetica πρὸς τοὺς νέους

Angi

Ang. Politianus loquitur. Et *literaturam* *Præfat.*
inſtrumentum eſſe ad omnem vitam, Gnoſi- *miſcellan.*
machi redivivi negabunt; *liberalium ar-* *Tertull. l.*
tium conſectationem moleſtos, verboſos, in- *de idolol.*
tempeſtivos, ſibi placentes facere, & ideò i- *c.10.*
gnorantes neceſſaria, quia ſupervacua didi- *Sen. ep. 88*
cerint, & *literam occidere*, porrò clamabunt: *2. ad Corinth. 3,6.*
digniſsimi ſanè feſtivo Angli illius Sophi Tho-
mæ Mori in optimatem illiteratum dicte-
riô:

> Magne Pater, *clamas*, occidit litera: *in ore*
> *Hocce unum*, occidit litera; *ſemper habes.*
> *Caviſti bene tu, ne te ulla occidere poſſet*
> *Litera; nam nota eſt litera nulla tibi.*

vel quos Xenocrates quidam adytis ſuperio-
rum diſciplinarum arceat; περίμενε· ἑκὰς ἴτε·
λαβὰς γὰρ οὐκ ἔχετε τούτων, ſubinde increpando
occinens. Hujusmodi, DOMINE GENEROSE,
è memoratis antè opuſculis meis juventuti
noſtræ, ſcio, pateſcerent, & vel hoc unicum,
eorundem, vel omnium ſimul, vel aliquorum
tantùm, editionem urgere apud me poterat,
& extorquere; mutare me tamen conſilium
id meum fecêre multa, & perſuaſêre, Sermo-
ne hoc, cujus panegyrin Generosâ præſentiâ

tuâ

tuâ illuſtrare olim volueras, lucem publicam experiri, ne, quod in adagione eſt, in doliô figulinam ordirer, populi quidem reprehenſionem, figulorum verò invidiam, quæ ipſa pro ſeculi hujus in malignô cachexiâ in proclivi eſt, provocarem. Eum ſi eô vultu & prothymia, quâ recitatum audiebas, jam typis exſcriptum & per chartam internunciam TE adloquentem ſulceperis, contra malevolentum lingulacarum aculeos (*fiet: ut hoc ævum eſt*) protecturus, & pro propritim congenitâ humanitate feceris, & irremunerabili beneficiô me ante-tuum TIBI denuò oppigneraveris. Et certè illa tua & in quosvis bonos laudabilis, & in me ipſum nullâ oblivione recondenda humanitas & clementia; immò illa per orbem hunc decantatiſsima *Pietas, Juſtitia, Benignitas* (quæ virtutum trias illuſtres perfectiſsimatûs titulos, & apud nos TIBI peperit, & apud poſteros, ſi qui erunt virtutum æſtimatores, cum veneratione promerebitur) illudque ſummum fidei & devotionis vinculum, quo TIBI obſtrictum me habes, an non tale quid jamdudum à me

expoſce-

expoſcebant? Σπαρτιάτας ἡ λόγχη γνωρίζει, ὥσπερ τοὺς Πελοπίδας· τὸν μέγαν Θεμίστιον λόγοι: *Ut Spartiatas lancea*, (ſtatim enim ut è terrâ prodibant, unde γηγενεῖς erant lanceati) *humerus Pelopidas: Ita magnum Themiſtium erudita prodit facundia*, Gregorius Nazianzenus olim: Ego veriùs dixero; *Principes virtutes illuſtrem Ruzonum à Plavven familiam ceu notæ gentiles & σημεῖα σύμφυτα*. TIBI verò, *Heros Generoſiſſime*, etiam *genitivæ* ſunt & *verè Tua*, *verè bona*, *verè divina*, & ne verecundiam oris tui, impari licet, commemoratione laudum tuarum onerem, *verè perpetua*. His ut fruaris quàm diutiſſimè, utarisque ad ſubditorum ſalutem, Muſarum patrocinium, tuum tuorumque decus ſupplex Deum Opt. Max. etiam & etiam veneror. Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν προσφέρομέν σοι, ΚΥΡΙΕ, oblationum in Eccleſiâ Græcâ formula olim erat: & ego *Tuo iuſſu* ſcripta, *te præſente* dicta & in Gymnaſio tuo, quæ inde TIBI debebantur, offero, tenuia ea quidem, ſed quibus tàm animus cultor & adfectus.

Ariſtot. l. de arte poët. c. 16.
Epiſt. ad Themiſtium Euphradem.
Sueton. Tiber. c. 68.
Suet. Aug. c. 80.
Drus. l. 10. apophth. Ebr. p. 21.

affectus fidus exhibentis, quàm ſpes majorum à me expectandorum precium & favorem conciliaverit. Nam &, εἰ θέλῃ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, quam nunc in Memoriæ fano lateritiam, TIBI, *Heros Generoſiſsime*, columnam, ceu votivam meritorum tuorum lemmatibus inſignitam tabulam, ſtatuo, ſaxo marmoream aliquando conſpicias, & me non degenerem Ruthenicæ familiæ ſervitijs natum medicum experiare. Annua votorum nuncupatio erat in principijs ſeu caſtrorum ſeu

Tertull. l. de corona milit. c.12. Capitolij, *Hunc tibi, Juppiter, bovem cornibus auro decoratis vovemus futurum*: non concedam ego quidquam Ethnicæ pietati, ſed cui me totum debeo, oblatis ingenij fœtibus (q. aliqua penſionis uſura) reliquator memor tamen, tantiſper ſatisfaciam. Ita cum TUIS valeas incolumis, vivas felix, imperes venerabilis, & ut diu id poſsis,

De noſtris annis TIBI Juppiter augeat annos.

Dabam Geræ tuæ Eid. Decembr. Julian. Anni clↄ Iↄ CXXIII.

Generoſit. & Clem. tuæ

ſemper devotiſsimus & fideliſs. Medicus

Thomas Reineſius D. p. t. Phyſ.
Rutheno-Geranus.

Digitized by Google

Σὺν Θεῷ παλάμῃ.

ETSI, DUM ME PEDE MEO METIOR, & percontor penitiùs, plura ſeſe mihi obferant, quæ ab hac dicendi provinciâ me deterrere & in ſubſellio auditorio detinere poterant; neſcio tamen, qui fiat, ut vel eloquentiſsimi & graviſsimi Oratoris vim, vocem, & latera ad horulam mihi jam, concedi poſtulem. Neque enim vel Tullî facundiâ, vel Demoſthenis gravitate, vel Periclis autoritate inferiora ſunt, vel cujuscunque tandem, quem aut nos, aut patres, aut avi etiam noſtri & proavi videre potuerunt, Oratoris ſtylo indigna, quæ hac vice ex hoc locô ad Vos, AUDITORES *exoptatiſſimi*, BARONES *generoſiſſimi*, *Patroni colendiſſimi*, *Collegæ amiciſſimi*, *Diſcipuli delectiſſimi*, fari conſtitui; EGO verò, ut verum de me fatear, nec naturâ ad dicendum comparatus, nec per juventutem hanc meam uſu inſtructus ſum; quô ipſo facilè fieri poterat, ut quæ

eloquentiſsimis Oratoribus, ut vel vix loqui exorſi obmuteſcerent, vel parum ſcitè, dextrè & feliciter perorarent, aliquando obtigiſſe meminimus ſingula, eadem hîc conſtituto mihi contingerent omnia. Verùm enim verò non tam me ipſo, qui me intimius curtâ cum ſuppellectile novi, & vel primô intuitu diſplicebo forte, quàm re, quam VOBIS propoſiturus ſum, & quâ delectabimini, ſcio, fretus: ſingulari etiam clementia, inſigni prudentia, admirandâ comitate, excellenti eruditione & ſumma attentione veſtri allectus: quin etiam laudabili nec procul ab incunabilis illuſtris hujus Gymnasi prognato inſtituto protractus, prodire in conſpectum veſtrum nec renui nec dum erubeſco. De voluntate enim *Illuſtris & Generoſiſsimi Baronis ac Domini, Dn. HENRICI Junioris, hoc tempore Senioris, Rutheni, Dn. de Plavia, SSæ. Cæsariæ Mai. Conſiliarii &c. Dn. noſtri Clementiſsimi, nutricii literatorum benigniſsimi,* cujus illuſtrem præſentiam mecum veneremini, A. & aulæ, & urbi & ſcholæ huic, *quod felix fortunatumque ſit*, operæ

operæ meæ in poſterum debentur, medendoq; ac docendo utrinq; mihi laborandum. Tanto igitur Herois tanti judicio obtemperaturus, ubi pro more verba mihi facienda ſunt, priusquàm operarum mearum publicum initium faciam, non poſſum diſſimulare, genium meum intimis præcordiorum receſſibus tantum non exilientem geſtire, magnum aliquid & admirabile non modò veſtris, qui hæc auditis, auribus, ſed & omnium in toto terrarum orbe benè mederi cupientium, imò omnium de re medica judicare volentium animis inſtillare. Metuendum quidem omninò mihi erat, ne quatridui hujus meditationes, eæque ſæpiſſimè per negotioſas curas interciſæ, argumento Sermonis hujus & VOBIS minus ſufficerent. Quid tamen agerem? *Vt ille, quem nocte intempeſta vis aliqua maior, puta incendium, rumor hoſtis aut ruina, dormientem è ſtrato in lucem ſubitò pertrahit, ſatis habet veſtem arripere, qua partes neceſſarias* (ita eas vocabant, quibus viri ſumus)

pudori tegat, coloris aut elegantiæ ſecurus? Ita cum me violentia conſuetudinis, & auctoritas veſtra, A. in hanc cathedræ lucem imparatiſsimum produxerit, ſatis habeo meam ſive inertiam ſive infelicitatem quovis velo obtegere. Audientiam, *ſpero*, mihi locus hic faciet & argumentum, quod DEI ſolius honori, *qui mirabilis eſt in conſiliis ſuis*, & *veritatis*, quæ anima eſt regni literarij, & ſolius hominis meta, velificabitur: aliquam audientiam fortaſſe etiam brevitas de negotio amplo faciet, quam polliceor, & veſtra, quam experior, benevolentia. Ad quod dextrè & dignè obeundum, tantum abeſt ut eloquentiſsimi cujusvis Oratoris vim & linguam ſufficere exiſtimem, ut multò magis univerſas ipſius Eloquentiæ ſubſidiarias copias implorandas arbitrer; vix ac ne vix quidem ſcopum Orationis hujus adſecuturus pro voto, niſi in veſtibulo ſtrigans voce præconia exclamem: CHEMIATRIAM, hoc eſt, *myſticam illam philoſophorum benè medendi ſcientiam, illam corpora naturalia miſta*

Scal. Ex. 160. ſ. 3. l. de c. L. l. c. 63.

ſolven-

ſolvendi, ſoluta coagulandi, & hoc ipſo purum ab impuro per ignem medium ſeparandi & occultum in corporibus miſtis manifeſtãdi, ad medicamenta iucundiora tutiora & efficaciora concinnanda artem dignam eſſe, qua honeſtum in Academiis, Gymnaſiis, Officinis pharmaceuticis, medicorumque, imo doctiorum omnium collegiis locum obtineat, conſervet, & ad poſteros æterna ſucceßione propaget; & quod ratio hujus eſt, *Medicinam ea ceu parte non minima & ad cognoſcendum & ad agendum benè carere nullo modo poſſe.* Etenim quamvis illa, *Alchemiam dico*, divinum Dei omnipotentis munus, ſolidæ philoſophiæ fons, clavis ſapientiæ, arcanorum in miſtis latentium ſcrutatrix & detectrix, calumniis, uti arbores quæ juxta vias ſunt, ſaxis & fuſtibus ſolent, variè impetita & vanorum vatorumque judiciorum, injuriarum, livoris, & odij publici communi fato, quia in famæ alicujus limine jam erat, & naturæ humanæ vitio, q. victima

fuerit;

fuerit; (quem omnium ſeculorum morum, & moroſum morem execramur meritò, quod inertiſsimi, hoc eſt, ii quæ imperitiæ morbum malitiâ cumularunt, de artibus, ut in apologo de luciniæ & cuculi cantu aſinus, judicent) eam tamen in ſacratiſsimæ Medicinæ complexum venire quotusquisque non videt, non intelligit? Cum quotquot hodiè ubivis gentium in aulis Impp. Regum, Principum, in Academiis, in urbibus præclaris, medicinam faciunt, haut obſcurè glorientur, ſe ad profeſsionem felicitatemque ſuam, tàm in cognitione ſcientificâ quàm in actione prudente & decente conſiſtentem, neceſſarias acceſsiones ab arte Chemica petere. Medicinam veterum olim tam variis & copioſis Chemicæ induſtriæ artificiis caruiſſe quoad artis eſſentiam non negavero: Sunt enim diſtinctæ artes; fuit etiam abſtruſa quovis tempore & in abditis ſapientum ſacrariis ſecretò detenta, quin & myſticis eloquiis involuta à poſſeſſoribus ſuis, qui ſibi ænigmatibus iſtiusmodi divinitatis cujusdam ſuſpicionem & admirationem conciliabant, & ob

inde natam vel viſam difficultatem à promiſcuo vulgo neglecta, neq; unquam ſolidè exculta CHEMIA: Ejus tamen neceſsitatem, quoad uſum meliorem, duo illa medicinæ lumina & columina, Hippocratem & Galenum non agnoviſſe, religio eſto ſuſpicari, injuria præfractè & rabiose declamare. Vide enim 1. ſimpl. med. fac. mihi vel Galenum ſolum: Is ipſe de aceti partibus heterogeneis calidis & frigidis edoctus, *periculum ſe feciſſe*, ait, *poſſet ne invenire artificium quoddam, quo ſegregarentur partes eius calidæ a frigidis, ut in lacte*: & paulò poſt ſegregationis modum ſubjungit, *innatare*, inquiens, *aliquid quod ſit aquoſum & frigidum, alud quid inſtar facis in vino ſubſidere, quod ſit calidum*. En adparatum verè Chemicum? phlegma, aquoſæ partes & inſipidæ aceti calore leni exuguntur, cui tamen acidus volatiouſque ſpiritus, qui ſeorſim excipiendus erat, ammixtus eſt: è fæcibus ſiccis igne vehementiore acetum radicatum, quod vocant, liquor acerrimus & calidiſsimus acido ſale prægnans ſuccedit. Ratione

tione, quâ plurimum polluit, adſecutus eſt vir doctiſsimus, quod ἐργάται Chemici χειροτεχνῖαι exequuntur. Et qua fronte Galeno Chemiæ notitiam detrahent ij, qui vel inde ruditati & ſocordiæ ſuæ pallium quærunt, vel famæ viri ſupra famam & laudem omnem inſidiantur, & temerè contradicunt; cum ne quid de Ariſtotele dicam, Dioſcoridi Anazarbæo & Plinio naturalis hiſtoriæ conditori σκευασίας, τεχνουργήματα & operationes ſpageiricas principes cognitas & uſitatas fuiſſe, probari facilè poſsit; alterius verò *de materia medica* libros diligentiſsimè legerit Galenus, ut ex VI. de ſimpl. medic. fac. præfat. & XI. & 4. de comp. medic. ſec. loca patet: alterum verò etiam ætate quam proximè attigerit, ſi veri ſunt, qui eum annos centum & quadraginta vixiſſe tradunt. Sine dubio, ſi in Chaldæorum, Ægyptiorum, & Arabum, genitalia quaſi Chemiæ, tempora incidiſſet, pro divini igneique ingenij ſagacitate multa felicius arripuiſſet, illuſtraſſet, & docuiſſet, quorum, culpâ tamen ſeculi, non ſuâ, eum exactam nullam habuiſſe notitiam fateamur. Qui

Libav. l. 1. Ep. Chym. 26.

l. 2. Ep. Chy. 50. 51.

Caſtellan. vit. ill. med. p. 118.

expor-

Digitized by Google

exportandi opobalſami & bituminis Judaici conſpiciendi gratiâ Palæſtinam Syriæ itinere difficili adierat; qui videndi humani σκελετεύματος deſiderio (Ipſe enim tum in ſimijs ſecandis tantùm fuerat occupatus) Alexandriam, ubi percelebre ab omni antiquitate floruit Medicinæ & Anatomices ſtudium, *Cenſorino & Ammiano Marcellino* teſtibus: qui ut quæ de terrâ Lemnia ammixtôq; ei caprinô ſanguine apud *Dioſcoridem* legerat & vulgò ferebantur, veráne eſſent cognoſceret, in Lemnum inſulam: qui cadmiæ & pompholygis in uſum civium ſuorum Pergamenſium advehendæ ergò in Cyprum navigaverat: qui ſola res naturales inveſtigandi cupidine Lyciam, Ciliciam, Phœniciam, Scyrum, Cretam, Ægyptum peragraverat: Qui ἐλευθέριον ſe nominat, καὶ περὶ ὅλον τὸν βίον ἀλήθειαν ἐσπουδακέναι, *in toto vita ſoli veritati, non ſecta huic vel illi ſtuduiſſe*, ait: Quem non puduit ab advena Ægyptio, ignoti commatis homine, multa experimenta accipere, eaque ſcripto conſignare; eum quid facturum fuiſſe putatis, *Auditores*, ſi vel *Hermetem*

De die nat. c.17. l. 22. l. 9. ſimpl. m. f. l. 5. c. 73.

Comm. 3. in l. Hipp. de rat. v. in acut.

a. ſimpl. c. l. de m... exp.

C trisme-

triſmegiſtum in Ægypto artem magni & perfecti magiſterij docere, vel *Gebrum* Mauritaniæ regem in Africa metallurgiæ & transmutatoriæ arcana tradere, vel *Averrhoëm* in Arabia tincturam philoſophorum exponere, vel *Avicennam* in Perſide Chemica ſecreta divulgare, vel *Arnoldum Villanovanum* in Gallia, *Lullium* in Hiſpania, *Bachonem* in Anglia, *Paracelſum* & alios in Germania ſcientiam de occultis magorum ſeu ſophorum profiteri fama cognoviſſet, quid facturum eum fuiſſe putabitis? Pro inexplebili diſcendi deſiderio ſuo nullis laboribus (erat enim φιλοπόνωτατος) nullis ſumtibus, nec tempori peperciſſet, nullas difficultates extimuiſſet, nullum periculum ſubterfugiſſet, nullam recuſaſſet conditionem & occaſionem, quæ arti nobiliſsimæ perdiſcendæ feciſſet.

Et quid inde, ſi vel omninò priſci hi ignorarunt, ſi non excoluerunt? *Creſcunt ſcientia cum ingeniis, & non negaverim,* uti eleganter *Seneca* ; *fuiſſe veteres alti ſpiritus vi-*

Ep.90.

ros &,

ros & , ut ita dicam , à Diis recentes : neque enim dubium eſt quin meliora mundus nondum effatus ediderit : ingenia tamen omnibus conſummata fuiſſe pernego. Non in uno Hippocratis & Galeni pectore Deus clauſiſſe medicinam putandus eſt , quin locupletior, ornatior & perfectior opera poſterorum communi, & inter eos , etiam noſtra evadat ; *Nullum perfectum & magnum opus repentè fit & una acceſſione, totamq; ſuam expolitionem ab uno inſtrumento accipere poteſt,* ipſius Galeni teſtimonio ; qui & non obſcure laudat , ſi *quæ priores multorum annorum ſpacio invenerunt , poſteriores accipientes & his addentes rem compleant atq; perficiant.* Et adſerere lubet, ut Hippocrates & Galenus plurimos in longæva & vegetiore illa ætate , felicius & faciliùs etiam ſine adminiculo artis ſpageiricæ ſanaverint, tamen & plures *citiùs, tutiùs & ſuaviùs* ſanare potuiſſe cum eo, quod dubium non ſit , quin aliqui obierint medicamentorum, quæ morbi requirebant,

l. 6. de ſent. Hipp. & Plat. c. 6.

1. aph. comm. 1.

Petr. diſp. Inaug. ſtart. 4.

legitime præparatorum defectu; & nos ne unicum quidem, niſi ſuperficiariè ægrotum, poſſe abſque Chemia. Omnia nunc cum ſeneſcente mundo vergunt in deterius: imbecilliorem jam mortalium naturam quàm antiquitus, non ſolum circa corporis ſtaturam & vigorem, ſed & circa vitæ ſpacia animadvertimus. Certè gigantum progenies

——— Vivo iam decreſcebat Homero:
Iuven. ſat. XV. *Terra malos homines nunc educat atque puſillos,*

& qui per momenta decreſcendi ad ſolutionem ad interitum usque pergant: Tot enim patrantur facinora in victu veteribus incognita; tot nobis ferculorum varietates & ſtruices patinariæ, ut ad ſervitium gulæ nati eſſe videri poſsimus: tot poculorum novitates & prodigioſa bibendi ingenia, quot cladis myriadas invehunt, quot monſtroſas morborum facies efformant, & in theatro ſeculi hujus medicis obverti faciunt, quorum partim ſtipendium abſurdiſsimi deſiderij primæ parentis, partim hæredium eſt & ſupplicium luxuriæ noſtræ, facie multifariam

riam

riam fucatâ ut novi videri poſsint? Regiones etiam & temperamenta differunt ab illis veterum; BRASSICA olim frugalibus Romanis panacea fuit, opinionemque quoslibet præcavendi morbos ſuſtinuit: at cur idem hodiè nemo ab ea expectat? HELLEBORUS ALBUS Anticyris ſalubriter bibebatur: at cur idem Hippocrati ob convulſiones ex uſu notatus? Cur Meſuæ, *corporibus ſui temporis moleſtus; imò ſicut venenum præfocans, & minans accidentia terroris?* Qui, *Matthiolo* teſte, ſucus radicum ejus venenum præſentaneum eſt feris, ſi ſagittæ eô linantur? *Perſea arbor, ſi Dioſcoridi, Galeno, Theophraſto* credimus in natali Perſide fructum fert adeò noxium, ut edentes interimat: in Ægyptum verò translata eſculentum. CICUTA Attica & Megarenſis Socratis ſupplicio nobilis, etiam L. Corneliâ inter venena relata, in Germaniâ Galliâ plurimisque Italiæ locis præterquam quod copioſè ſumta ſtuporem inducat & mentem perturbet, non adeò exitialis naſcitur. In Liguribus verò Taurinis

5. aph. 16.
4. aph. 16.
Sect. 2. medicin. laborioſe ſolventium cap. de helleb.
l. 4. Dioſc. c. 146.
Epiſt. l. 3. f. 127.
l. 1. c. 146.
l. 4. hiſt. plant. c. 2.
l. 2. de alim. fac. & l. 2. de comp. med. κατὰ τόπ.
Matthiol. Dioſc. l. 4. c. 74. f. 772.
lib 6. c. 14 fol. 988.

pro delicijs habent in acetarijs ſiſari ſapore, additô etiam elogiô ſalubritatis. ARUM Cyrenis minimum medicamentoſi minimum, quæ acrimoniæ poſſidet, adeò ut in cibis vel dapis utilibus habeatur, GALENO teſte: ſidemque ei facit ager Bambergenſis, in quo dulcem ferè & linguam non pungens ari radix provenit: at in Italia, minori Aſia, Germaniæ Provincijs alijs, calidiſſima acerrima & mordaciſſima, quæ & in tangentum manibus puſtulas excitat & cultrô ferreô tractari vel ſecari non debet, ne ſal ejus, quem copioſum habet, peregrinam ferri qualitatem cum ſimili ſalinâ natura ſibi adſociet. Nec minori admiratione dignum eſt, omnem JUCAM (ea planta eſt, è cujus radice expreſſo prius & abjecto ſuccô, qui lethalis, ſiccatam ad ſolē farinam ejus aqua ſubigentes, panem ſuum conficiunt Indi, & quo etiam-nunc Luſitani & Hiſpani ibi vivunt) in continenti naſcentem ſalutarem eſſe, ejusque radicem edulem, ſuccum verò & potabilem: eam autem & ſuccum ejus, quæ ad S. Dominicum provenit, illique alteri per omnia ſimilis eſt, quæ-

2. de alim. facult.

Quercetan. pharm. dogm. reſtitut. c. 20.

Scal. Ex. 152. ſ. 5. & 8. Monard. de ſimpl. med. l. 3. p. 50.

cunque

cunque tandem ratione comedatur, perimere. Tanti nimirum locorum indoles momenti eſt, ut, quod ſalubre alimentum in continenti præbet, id in inſulis ſit venenum. Neque verò putaverim adeò abſurdum fore quenquam, ut quia Hippocrati *lues Neapolitana ſeu potius Indica*, merx per Hiſpanos ab Indicis proſtibulis in Italiam & Galliam illata, quæ tamen Americam jam à mille amplius annis exercet, etiam Germanis infauſtâ transplantatione vernaculâ facta, non innotuit; quia ipſe de *Scorbuto, ſtomacace & ſcelotyrbe* Plinij, in hybernis Druſi Germanici ad Rheni ripam primùm graſſari viſô, & regionum ſeptentrionalium Oceano Balthico Begicoq; ſinui confinium incolis familiari, & jam in ipſo Germaniæ meditullio colonô factô, nihil vel obſcura pauca; nihil de *febre malignâ porphyroeide, petechiali ſeu lenticulari* caſu ſimillima, in Ungariâ primùm in caſtris ad Comaram graſſari viſa & cum exauctorato milite in vicinam Auſtriam, Boëmiam,

Scal. Ex. 180. ſ. 19.
Circ. annum 1493.

l. 25. c. 3. N. H.

A. C. 1566.

inde

inde ad omnes Germaniæ angulos proſerpere cognita: ea quæ recentiores & αὐτόπται de iis ſolertiſsimè prodiderunt, pro reiſculis inutilibusque novellis habere velit. Multa ſcivit ſcripſitque HIPPOCRATES, aliqua ex iis antiquavit GALENUS; plura adinvenêre ſubſequæ Græci, Arabes, Latini, & poſt hos Itali, Galli, Hiſpani, Germani, & vehementioribus valere juſsis mitiora priſcis incognita ſubſtituêre; *ut nemini dubium eſſe poſsit in hanc rem penitus intuenti, quin inventa Noſtrorum cum Maiorum inventis conferri: pleraq; debeant anteferri.* Hiſce, inquam, omnibus & ſingulis pro inventis εὑρεταῖς, gratias & gloriam: *occultator enim laudis alienæ furi par eſt*: pro omiſsis & in ſpicilegium poſteritati relictis veniam debemus; pluraq; inde hodieque inveniuntur & propalantur ſalubriora, compendioſiora & ſplendidiora, quod horti Botanicorum florentiſsimi, theatra Anatomicorum ad admirationem adaucta, tabernæ medicamentariæ inſtructiſsimæ comprobant. Quo loco vel in primis habenda

Bodi. meth. hiſt. c. 7.

benda ea, quæ Luſitani quidam, *GarZias ab Orta* pro Regum Luſitanicorum in Indiâ, *Nicolaus Monardes Hiſpalenſis, & Chriſtoph. à Coſta Burgenſis* in Hiſpania Medici de Peru, Pegu, Cambajæ, Goæ, Chinæ, Zeilan, Madagaſcar, Malavar, Javæ, Guineæ, & cæterorum novi orbis regnorum inſularumque ſpolijs ampliſsimis, plantis, floribus, radicibus, ſeminibus, lapidibus, reſinis, animalibus, &c. magno numero inde ad nos venientibus candidè communicarunt; quorum pleraque nec Hipp. nec Gal. imò nec ijs Germanis noſtris, qui ante hunc annorum centenarium vixêrunt, innotuêre. GARYOPHYLLA tam ad cibos quàm ad medicinas magni uſûs ſunt; ea tamen ignoravit Galenus: *tres ſandalini ligni ſpecies, cardamomum, camphorã, grana Chermes, rha-Barbarum, mechoacan, ſaſſafras, guaiacum, beZoar, contrayervam*, alia nobis pariter uſitatiſsima & utiliſsima: *Cinnamomi ſeu canellæ* in Italiâ Galeni temporibus magna fuit penuria, adeò ut nusquam niſi apud Impp. reperiretur, qui ad- Pancirol. nova repert tit. 4. Bellon. obſerv. l. 2, c. 10.

mirabili cuſtodiâ id adſervari curabant, quod
hodiè vel in cujusvis Corydonis perâ reperias:
neq; enim eam litem, quam Matthiolus, *cin-
namomum Dioscor. & Græcorum omne
periiſſe, ut balsamum in Judæa*, movit, meam
hîc facio. Undè GALENUS ſeſe, cum Impera-
tori Severo Theriacam componeret, cinna-
momum tempore Trajani, Adriani & Anto-
nini lectum & cuſtoditum in antidoti ſtru-
cturam adſumſiſſe commemorat, & PLI-
l. 12. c. 19. N. H. NIO teſte *Cinnamomi pretia fuere
quondam in libras denariorum mille*;
quibus hodiè vel triginta ejus libræ emeren-
tur, ſi denarium intelligas, ut & vult PLINIUS
l. 21. c. 34. Ioſ. Scal. de re numm. p. 42. & 50. ipſe, drachmalem, & qui quater appenſus ſta-
terem conficiat. Beatos, ſcio, nos prædicarent
duo illi medicinæ parentes, ſi quod per Co-
micum *Julio Cæsari & M. Tullio Ciceroni*
contigit, ut reduces ab inferis coram *Harmi-
niũ, Ariovistum, Marsum, Cambrivium*,
alios Germanorum barbarorum ſtrenuiſſi-
mos duces viderent, & ipſi redivivi diſcipulos
& filios parentibus ſuis non inferiores nec in-
dignos

dignos conſpicarentur. Doctrinam difficilimam, utiliſsimam tamen & maximè neceſſariam *de Criſibus, de diebus Criticis eorumq; cauſis* accuratiſsime docuere ſenes Cous & Pergamenus; viſuri tamen & admiraturi eſſent ingenia *Hieron. Fracaſtori, Augeri Ferreri & Julii Caſaris Claudini*, qui tam doctè excogitata multa in Operibus ſuper hac de Criſibus materia publicatis addiderint, rectius plura docuerint, & optimè plurima innovarint. Auditurus & admiraturus eſſet GALENUS (qui doctrinam DE PULSIBUS non min⁹ neceſſariam, quam laborioſam tot libris artificiose deſcripſit, vel eò unico ingenij ſui vires expertus) Patavij è cathedrâ publica profitentem *Sanctorium Juſtinopolitanum* & de *pulſilogio* ſuæ inventionis inſtrumento, quo omnes pulſuum differentias dijudicare ſolet, ingenioſiſsimè, novo planè exemplo, diſſerentem: quin & in eodem SANCTORIO admiraturus eſſet, ARTIS STATICÆ, h.e. de ponderandâ inſenſili tranſpiratione, in quolibet individuo, artificioſiſsimam conſtitutionem &

ſingularem expeditiſsimamq; ejus peritiam. *Pueri ſcilicet ſunt* cum Hippocrate & Galenō collati genuini *medici* alij *in collo gigantum, & vident omnia quæ vident illi, & aliquid amplius*, ut è *Guidone* ſcriptore cheirurgię barbarō loquitur *Rodericus à Caſtro*. Et quæ injuria erit Hippocratis medicinam talem eſſe cui aliquid addi poſsit & debeat, dicere? Fatetur ipſe eam nec ab Æſculapio nec à ſe abſolutam, & *ſapientis cogitationis opus eſſe, invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa ſunt, quod ipſum notum eſſe præſtat quàm occultum, ſimiliter ſemiperfecta ad finem perducere aut abſolvere*; at verborum inhoneſtorum arte, ad ea, quæ ab alijs inventa ſunt, confundenda promtum eſſe, nihil quidem corrigendo, eorum autem qui aliquid ſciunt inventa apud ignaros calumniando, proditionem naturæ ſuæ & imperitiam eſſe. Fatetur GALENUS & ſuam ejusmodi eſſe; pluraq; inveniri vidit ipſe, *quæ apud veteres inventa non fuere*, veluti quod Romæ tunc

Tom. 2. de morb. mul. l. 1. l. 2. c. 16. & l. 4. l. 2. c. 16.

[illegible] c. 17.

exco-

excogitarit quidam, quomodò acrochordonas & myrmecias ore lanet. Fatentur medici poſteriores, qui ab Arabibus Galenicæ ſupplementum petiêrunt. Quid quod ipſis Chemicorum operib⁹ & experimentis quotidiè ſuæ fiunt per φροντίδας καὶ ἐργασίας δευτέρας acceſſiones? *Colcotar vitrioli* aquæ pluviæ ſtillatitiæ calentis crebrâ adfuſione & decapulatione eluitur tàm diu donec in aquam omnem ſalſuginem depoſuerit: fit aquæ ejus ſuper leni cinerum igne evaporatio, & reſtat materia alba exiccata, vulgò SAL VITRIOLI dicta: Hic liquore aliquo ſtomachico rurſum ſolvitur, ſolutum colatur & inſpiſſatur, reperitur *alcali candidiſſimum colcotarinum* dictum. Eum, ſive ſalem ſive aliam ſubſtantiam nuncupes, in fœdos ulcerum putridorum, verminoſorum & malignorum ſinus, vel vino ſolutum, vel convenienti unguento ammiſtum & mollibus petijs illitum, demerſum, ea efficaciter repurgare, flaccidas carnes adſtrictione ſua corrigere & aptas ſanationi reddere MINDERERUS & ANGELUS SALA, uterque magni nominis, docuerunt: QUERCETANUS aquam antipo-

L. de Chalc. c. 8. anat. Vitr. p. 14. Pharm. dogm. reſtit. l. 7. p. 119.

antipodagricam ſuam eo nobilitat, ideò fortè, quod urina, vino, à qua guajac. &c. ſolutus & articulis dolentibus adplicitus conſumat materiam quæ influxit, fluentem ſiſtat, & œdemata in cruribus cachecticorum calcis vivæ diluto colato ad purum ſolutus diſcutiat, ut vult LIBAVIUS. Uſum ejus internum, quod ſpecifica quadam facultate pulmonibus adverſetur, diſſuadet MINDERERUS: SALA, anatom. Vitrioli prior. edit. *se eundem ad eum uſque diem non eſſe expertum*, ait: *Eo tamen* edit. alterâ *sæpiſſimè se uſum, eſſe optimum vomitorium detersivum phlegmaticorum in pectore & ventriculo humorum*, quod de copparoſa in aqua roſarum aliquoties ſoluta & coagulata Matthiolo etiam notum eſt, *quo tutò uti liceat*, (quâ nota & QUERCETANO in epilepſia & aliis capitis adfectibus: LIBAVIO in ventriculi camarinâ expurganda commendatur) recenſitis in epilepſia, aſthmate & catarrho ſuffocativo, felicis ſucceſſus hiſtoriis quas & ipſe obſervationibus propriis locupletare poſſem, ſcribit: alij deturbare enectos lumbri-

Syntagm. arcan. Chy. l.2, c.27. ſ 99

p. 14.

In Dioſc. l.5. c. 74.
In tetr. p. 53. l.8. arc. Chy. c. 38 ſ. 463. & apocal. Herm. p. 2. c. 14. ſ. 276.
Emetolog. p. 146. & ſeqq.

lumbricos & colicos dolores ſedare: alij etiam per urinas & ſudores purgare perhibent. Ita, quod ante omninò ignotum, quod ſuſpectũ, quod externis tantum uſibus dicatum erat, eſſe expertum medicamentum, tutóq; & ſalubriter inter interna ſumi, dies docuit, & ſine dubio ſolertes naturæ inveſtigatores, quibus inventa majorum ſuo etiam ſtudio excolere amplificare & perficere ſeriò in animo ſedet, docebit plura. ARCHIMEDES Syracuſanus, *in quo tanta machinariæ ſcientiæ facultas fuit, ut navim onuſtam* (verba ſunt Sabellici) l.10.Ennep. c.8. *ſolus remolitus ſit, traxeritque quò voluit, cum ingens vis mortalium ne movere quidem loco quiviſſet: Archytas Tarentinus* hoc opere clarus fuit, quod ligneam columbam certâ ratione compegerit, quæ aërem ſemel ſortita perpetuo volatu per ipſum inane ſpiritu intus incluſô agebatur, niſi ſolidum aliquod offendiſſet corpus: At ſi in Angliam vel hoc ipſo die venire ipſis cõtingeret, Weſtmonaſterij Trinobantum viderent & admirarentur *perpetuum mobile Cornelii Drebbel*

Batavi ſempiternos ſiderum motus temporumque viciſsitudines & Oceani reciprocationes ad momenta & puncta in ævum repræſentans: viderent & admirarentur ejusdem artificis organum Muſicum, cœlo ſereno ſuaviſsimam harmoniam nullo digitulo tactum edens ab anima mundi ſeu ſpiritu inſenſibili & aſtrali, in ſphæram & inſtrumentum illud artificio chemico vi magneticâ attracto, infuſo & concluſo, moveri, rotari & continuari. Quid ANAXAGORAS CLAZOMENIUS, qui cœleſtium literarum ſcientiâ prædixit, quibus diebus ſaxum è cœlo eſſet caſurum: quod & vehiculi magnitudine colore adusto interdiu decidit ad Argos flumen, quod poſteritas miraculi loco viſere eſt ſolita? Quid, inquam, ille, & Aſtronomi veteres omnes, ſi viderent & legerent, eſſe inter Germanos Aſtrologum, qui Cometam quem per proximum bimeſtre ſupra horizontem noſtrum à nato Salvatore centeſimum tricenteſimum quintum in plagâ Orientali & ſub Libræ dodecatemorio flagrantem mirabundi vidimus, ab aliquot menſibus prædixerit: Dignum, cui ut

BERO-

BEROSO Attica civitas in Gymnaſio ſtatuam poſuit inauratâ linguâ ob certiſsimum eventum eorum quæ prædixerat; dignum, inquam, cui aſtronomicę ſcientię teſtimonium totus Chriſtianus orbis ſolenniter perhiberet, & ſolertię præmium memoriam æviternam ſtatueret. Quid acutiſsimus philoſophus & medicus, THOMAS ERASTUS, ante hos triginta annos profeſſor artis Baſileæ, & qui ipſius vitulâ ararunt hactenus philoſophi & medici alij innumeri? Quid, inquam, illi, ſi audirent & legerent, quæ *de conficiendo auro*, quod vocant, *potabili*, vivo, regenerato, plusquamperfecto, & in omni liquore ſolubili probatiſsima ſcripsêre nuper PENOTTUS & CROLLIUS: ſi viderent etiam & vel manibus palparent, aurum magiſtraliter ſine corroſivô; ſed cum menſtruô univerſali temperato & permanente præparatum, inque quovis liquore ſolubile, cujus doſes aliquot *aulæ Casſellanæ & vicinæ Academiæ Marpurgenſis Medicis*, quos vivos omnes, ut alios taceam, anteſtes appello, ex Angliâ miſit, aliiſque in Angliâ ipſi familiariter conviventibus Germanis

E commu-

communicavit *Franc. Antonius Londinenſis*; vel hoc unô celeberrimus? (in quo tamen artificio quid alij deſiderent, non neſcio:) Nonñe vel inviti fatebuntur, ſe aliquid, & quidem hoc inter ea, ignoraſſe, nonne admirabuntur, nonne amplectentur, quam inſanis clamoribus & neſcio quot ratiunculis per auditoria plerarumque Academiarum exploſam, proſtratam, conculcatam, laceratam, triumphatam exterminaverant *de auro potabili poſſibili* doctrinam? *Inſcitia argumentum eſſe ſine ratione ſufficiente iis, qui artis cuiuſdam fundamenta nobis iecerunt, contradicere, è Scaligero* diſcere poterant, & ruſtica lima dignam eſſe à propria autoritate negative aliqua de re factam collectionem. Videant ergò illi, qui vel errore populari dementati, pulcerrimarumque rerum ignorantiâ occupati, vel placitorum, quæ ſeu confinxerunt ipſi (ἕκαστος γὰρ αὐτῶν τὸ βέλτιον μᾶλλον γλίχεσθαι ἡγεῖται) ſeu à præceptoribus non melioribus aut pravè intellectis hauſêrunt, amore ſuaviter ebrij & inter craſsiſsimas obſcuritatum nebulas

Sala Chry. ſol. f. 2.

adhuc

adhuc in ſpecu Platonico ſedentes errare cum multis malunt, quàm cum paucis ſobriis benè ſentire: vetera & ſua extollentes, receptium & alienorum incurioſi: Ita ſcilicet τὰς διωπῆας αἱ κύνες μιμοῦνται, ita *vara vibiam ſequitur*, ut quos ZASIUS, quod communem opinionem ſequerentur tantùm ſcutô antiquç vel præceptoriæ autoritatis freti, non ſolliciti quàm juri vel rationi conſentanea ſtatuerent, OVILLOS DOCTORES vocare conſuevit, GRUINOS non ineptè nominaveris. Ut enim gruib⁹ mos eſt unam volantem ſequi omnes: ita hi conſpiratô q. favore non ex animi ratione veriſq; fundamentis in ſententias prædeceſſorum ſuorum ruere animadvertuntur; Galenum, cujus ſputa lingunt, audirent, & ſe præ amore ducum ſuorum οὐ μόνον κωφὺς ἀλλὰ καὶ τυφλὺς γίνεσθαι à dictatore, quem nec falli nec fallere poſſe credunt, diſcerent. Videant, ajo, illi, annon criminis læſæ divinæ majeſtatis & flagitij corrupti Naturæ genij rei ſint, quando benigniſsimum DEUM noſtrum condum bonorum ſuorum; non ampliùs promum: Naturam verò non matrem ſed vel novercã

Druſ. adag. Ebr. 3. dec. 9. Fech. tr de fama l. 2. c. 18. n. 20.

8. med. loca 1.

nobis, vel *ita laſſam & effœtam ut iam nihil laudabile pariat*, arguunt. Quaſi verò univerſus mundus reliquus, præſertim Chriſtianus, plus videre & experiri potis non ſit, quàm pauci viri ethnici, qui in plurimis enormiter errarunt; Videant illi *circumſcripti & ſervilis animi homines*, quàm iniquè ex intellectu omnium rerum domino & Chriſtianæ pietatis luce per Spir. S. gratiam colluſtratò mancipium faciant alienæ libidinis, & quàm ſtolidè inventis per Dei gratiam frugibus, glandibus veſci, & excogitata veſte textili corticibus tegi & infectis pellibus amiciri malint. Veteres ſaltû ſe in equos conjeciſſe, eique rei tirones & ſtipendiarios milites diſtrictò adſuefactos legimus; & quia ea equos conſcendendi ratio præſertim armatis difficilis erat, viocuri in lateribus viarum locabant altiores quosdã lapides, è quibus levi negotio poſſent; tandem inventæ ſunt Theodoſio M. imperante ſtapedæ equorum conſcenſioni adminicula: has ſi quis, quod recentius repertæ, reſecare ephippijs & cum laborioſâ veterum conſcenſione id compendij commutare vellet,

Arnob. l. 2. adv. gent.

P. Victorius var. lect. l. 37. c. 15.

Briſſon. l. 4. antiq. ſel. c. 12. & 8.

Pancirol. tit. var. lect. l. 1. c. 43. & l. 2. c. 265.

let, quid quæſo vulgo auditurus eſſet? Nonne ludibrium ſuo contubernio deberet miles, qui quod illos è veteribus Germanis Bojorum, Cheruſcorum, Æduorum, Alemannorum, Batavorum, Noricorum, Friſiorum, ſive reges ſive duces, *Chryxum & Matalum*, *Seſithacum & Segimerum*, *Virdomarum & Litavicum*, *Vrciſinum & Randonem*, *Civilem*, *Vocionem*, *Malaricum*, alios ſive equites ſive pedites ſpathas prælongas è catenis ferreis ad dextrum latus dependentes geſtaſſe ex hiſtorijs vel picturis didicerit, conſuetudinis antiquæ vitium ſibi adfingeret, & ſiniſtrò femore religatum dextro aptaret gladium, evaginationem ejus min⁹ commodam ſic futuram non cogitans, & cauſſam geſtationis veterum, at quorum ſiniſtris ſcutum, ad ſtaturam hominis porrectum, (ἀνδρομήκεις Diodoro) ſuſpenſum erat, ignorans? Certè ſimillimi ſunt κακοζήλω illi & ſuperſtitioſi antiquitatis imitatores ne dicam adulatores ridiculi Athenienſi cuidam Cleiſopho, qui quod Philippo Macedoni regi ſuo oculus alter effoſſus eſſet, eodem oculo faſciis

Sil. l. 4. Liv. l. 21. Amm. l. 31. Strabo l. 7. Cæſar comm. VI l. Amm. l. 17. & 27. Tac. l. 4. annal. Cæſ. comm. 1. Amm. l. 27.

Diod. Sic. l. 4. De Romanis Polyb. l. 6.

 obligato

obligato in publicum prodijt, & cum regi alterum crus luxatum eſſet, eodem claudicans conſpectus eſt, & ſi quem cibum acrem rex ori admoveret, vultum contraxit Cleiſophus, quaſi eo quoque ipſe veſceretur: mirumque adeo & malum non leve eſt, ea *mortalium vel audacia vel pertinacia, qui* adfectant & *tuentur errores, quos ii, qui commiſere, ſi viverent, emendarent.* Et ii veterum tanti ſunt admiratores, tamq; inſani amatores Chemicomaſtiges, cur artem quã vel ἀπὸ [illegible] & vetuſtate cum aliarum quãvis certare noſſe poterant CHEMIAM majeſtate ſuâ indignam clamant, cur tanto odio inſectantur, cur proſcribunt & *morte puniri ſuadent eos, quicunque aliis in ſanando remediis, quàm conſuetis & ordinariis* (Hippocr. & Gal. per uſitata Diſpenſatoria, quæ vocantur, deſcriptis) utantur? Certè aut turpiter [illegible] & ab omnis antiquitatis ſacræ profanæque notitia excluſiſsimos, qui tamen in concilio Jovis velut Æacus enutriti ſibi videntur, eos eſſe liquet; aut inſigniter impudentes

Cenſura ſchol. Paris. ſuper Querc. l. de priſc. phil. v. medic. materia.

 Qui

Qui nocte lucem, nigra vertant candidis
& adfuſâ limpido veritatis & rationis fonti cæcarum opinationum ſepiâ aufugiant.

Cainitis, & à diluvio Chamæis & Nimrodæis per Babyloniam & Chaldæam in Oriente, artium omnium minerâ, CHEMIÆ primas origines & culturam deberi vel inde quis probaverit, quod hoſce primam Remp. indultu ſapientiſsimi monarchiarum conditoris DEI conſtituiſſe, & in mortales alios imperium ſibi ſumſiſſe & exercuiſſe divina intiment oracula; quod audax & immane facinus quomodo ſine neceſſariis ei rei artibus, confecerint & perpetrarint? Neq; vero quod autores ſatoresque agnoſcat eos, qui verum DEI cultum proculcarant, & proavorum θεοσέβειαν integritatemque exuerant idolomaniæ & omnis impietatis rei; id quidquam ejus dignitati officit, cùm *non inſpicere cantharum ſed quod in eo*, Ebræorum Thanaim jubeant, & verè *ſapientem* denominaturi, *eum, qui diſcit à quovis homine*, nominent; debenturque eò majores DEO gratiæ, quòd pro ineffabili bonitate ſuâ uſibus vitæ noſtræ & indi-

Ioſe, Iudæ F, Druſ. adag. 6, dec. 1.

Benzoma apud Druſ. apophth. Ebr. & Arab. l. 1.

indigentiæ etiam per homines malos proſpexerit. Quin Laconas hic imitamur, qui ſententiam ab improbo dictam, ſiquidem Reip. utilis eſſet, quod ſæpe etiam olitor valdè opportuna loquatur, à viro bono ſæpe repeti jubebant, ne mali cujusquam conſiliô uſi viderentur, & ſalutari tamen monito locus daretur. E Babylonia in eidem Chamæorum, Mizraimi ſcilicet, imperio parentem Ægyptum fama artis pervenit: Hæc incrementa illius & florentem adoleſcentiam, ut Chaldæa incunabula, vidit, ſuumq; illi nomen, quod natales ejus alteros ſimul indicaret, impoſuit. Ægyptus enim Africæ frons & pars primaria, Plut. teſte, ab indigenis ſacerdotibus CHEMIA vocabatur, & ut D. Hier. *uſque hodie Ægyptiorum lingua Ham:* idque à Chamo terrarum illarum ab Ægyptô ad extremas Æthiopiæ maritimæ oras domino: quem in Hammonem Libycum ſeu Jovem ſuum, (Ἀμμοῦν γὰρ παρ' Αἰγυπτίοις ἴδιον ὄνομα τοῦ Διὸς) ut Babylonios ſeu Aſſyrios Nimrodum in Belum, Ægyptios transformaſſe res eſt, non conjectura: Ut jam diligenter ineptire, juxtà flumen puteum fodere,

l. de Iſide & Oſir.
l. quæſt. Ebr. in Gen. Fuller, miſcel. theol. l. 2. c. 4.

Plut. ib.

dere, & curſâ præſente veſtigia ejus quærere mihi videantur, qui arti Ægyptiæ & barbaræ nomen è Græciâ petunt, & ſacrô animi morbô pro adſtruendâ falsâ originatione nec à convitijs abſtinent. Fuêre apud Ebræos, Chaldæos, Ægyptios, Phœnices omnes artes pœnè ſenes & decrepitæ, cum apud Græcos infantes quaſi eſſent; & noviſsimi Ebræorum ſapientes & prophetæ σύγχρονοι antiquiſsimis Græcorum Sophis; unde & Ægyptius quidam ſacerdos à Platone Timæo introducitur Soloni congerro; ô *Solon, Solon*, inquiens, *Græci ſemper eſtis pueri: nec eſt quiſquam è Græciâ ſenex, quin iuvenis ſemper vobis animus, in quo nulla eſt ex vetuſtatis commemoratione priſca opinio, nulla tempore cana disciplina. Hermes seu Mercurius*, ſive quòd regio diademate, infula ſacerdotali, & philoſophica ſeu magica corona inſignis, ſive quod lapidis philoſophorum triplicis, animalis, vegetabilis, & mineralis artifex eſſet, ſive ob tres primas ſubſtantias, quas ipſe ſpiritum corpus & animam; Paracelſus & qui eum paulùm anteiêrunt monachi è mineralium

Ioſ. ll. c. Appionem; Euſeb. ll. de præpar. Evangel. 7 & ſeqq. Perer. l. 4. de princ. a. n. Morn. de ver. rel. Ch. Iuſtin. M. parænet. ad gent. Reuchlin. l. 2. de verbo mirif.

Clem. Alex. l. 6. Strom.

claſsibus deſumtis nominibus SALEM, SULPHUR, MERCURIUM vocarunt: (quæ nec principia Ariſtotelica nec elementa tollunt, ſed & inſunt ipſa, & ſuccenturiantur ijs, ut propinquiora, & ſenſibus notabiliora:) Sive quod de Trinitate oraculum ediderit, TRISMEGISTUS dictus, Noachi auditor, Chuſi Chami filij præceptor & ſcriba Ægyptijs Abrahæ temporibus præfuit, ijs leges, & literas tradidit artisq; magni magiſterij exercitio patriam toto orbe admirabilem & celeberrimam reddidit; & quod parentes liberis ſolent, auguſtum nomen ſuum, quam unicè excoluerat, & cujus adminiculô immenſas regno patrio divitias pepererat, myſticæ huic philoſophiæ, ut HERMETICA audiret, impertivit; viſaq; eſt tum Ægyptus Orienti omni, quod ab artibus omnigenis lumen obtinuerat & nomen omne ſubtrahere, eripere, obfuſcare; & qui Chaldæos ob ſapientiam omnifariam frequentare, admirari, venerari ſoliti fuerant Aſiæ Europæque populi, jam q. ſordentibus ſibi Aſſyrijs Ægyptiorum ambire commercia, ſuſpicere felicitatem, auſcultare ſacra & doctrinas

Poſſev. ap- par. l. 1. c. 5. f. 104. Heurn. l. de primor. phil. barb. p. 57.

ctrinas. Hermeticæ hujus ſapientiæ, veræ magiæ, & perſpectivæ ſcientiæ, in qua & MOSEN eruditum fuiſſe STEPHANUS memorat, per Act. 7, 22.
quam operationes naturæ cernuntur clarius, poſſeſsionem reges maximi & Sophi ingenioſiſsimi CHALIDES, ORUS, OSTHANES, JACHENUS, ſub Senuo rege ob ſingularem in ſanandis ægris prudentiam OSIRIS, h.e. multoculus, ut placet aliquibus, appellatus, ſibi vendicarunt. COLCHIDIS metallorum feracis reges per Ægyptios traduces artem ſe dignam adquiſiverunt, & patrimonio avito illatam poſſederunt: ARGONAUTÆ verò invidiâne, an avaritiâ, an cupiditate ſcientiarum, duce JASONE, cui ob memorandum facinus totus ferme Oriens divinos honores tribuit & templa Juſtin. l. 42.
conſtituit, AUREUM illud VELLUS, ſeu librum in membranis arietinis ſcriptum, ut explicat SUIDAS, qui artis Chryſopoeticæ arcana con- In Δέρας:
tineret, unâ cum cuſtode ejus Medeâ rapu- Pancirol.
erunt. Ipſos Græciæ ad ſapientiam & virtu- nov. repert. tit. 7.
tem magiſtros THALETEM, ANAXAGORAM, Socratem, alios, magnis ſumtibus, majore periculo, maximo & ferè incredibili animorum

 fervore

Cic. 5. de finib. & 4. Tuſc. Qu.

fervore ad ea loca penetraſſe, unde myſticæ illius ſapientiæ fama ad univerſum orbem diffunderetur, quis ignorat? Certè *Pythagoras Samius* è Pherecydis & Hermodamantis ſchola cum Zamolxi in Ægyptum profectus & à Polycrate Amaſidi regi commendatus admiſſus eſt ad Sonchedum Onupheumque ſacerdotes quibus ſingulis ſingulos argenteos in Lesbô propria manu fabricatos ſcyphos didactron obtulit: *Solon Athenienſis & Lycurgus Spartanus* Sonchem Saitem & Pſephonem Heliopolitanum audivere. DEMOCRITUM per quinquenium Ægypti ſacerdotibus harpedonaptis, PLATONEM cum EUDOXO per tredecennium converſatos, artis Chemicæ, ut aliarum omnium, myſterijs initiatos quid credere prohibet? Et quid Hippocratem à preceptore ſuô Democrito talia doctum? At cur in his ipſis Græcis deficere ars tanta viſa eſt? (præter enim obſcura & confuſa quædam, quibus interpretes etiam optimi Chemicum quid ſubeſſe vix probaverint aut perſuaſerint, οὐδὲ πασπάλη: & faceſſant ij, qui PRACTICAM quandam & librum *de artificio*

Plut. Solone.

Alex. genial. dier. l. 6. c. 5.

lapidis

lapidis Ariſtoteli ſupponunt eumque quintum ejusdem meteorologicôn faciunt alios que ejusdem monetæ aliis fraude imperita & inutili adfingunt.) Non vane ſuſpicari quis poterat, factum hoc eſſe, vel quod docendi modô ænigmatico & parabolicô uterentur Ægyptii, & plurima occultarent, quæ in bibliothecas, quas ſacras adpellabant, repoſita ſervabantur, etiam pœnâ iis indictâ, qui ea in plebem ſpargerent: unde Græci advenæ pro rebus verba arripientes, quod & Plinio contigit, ut nim. multa veterum pro magicis haberet, & ut inepta ληρολογήματα deriderer, quæ tamen doctoribus & diſcipulis iſtorum ſtudiorum erant planiſsima & verè myſticæ philoſophiæ dogmata, umbramque & corticem prehendentes artis adytis emanſère, & fructu caruêre; vel *quòd Græci naturâ rerum novarum ſtudioſi ſint, & præcipites usquequaq; ferantur inſtar navis ſaburrâ carentis nullam habentes ſtabilitatem: neque conſervent, quod ab aliis acceperunt; ſed & hoc citò dimittant, & omnia propter mutabilita-*

tem novaq; inventionis elocutionem tranſformare ſoleant, uti graphicè à *Jamblicho Chalcidenſe* Porphyrij diſcipulo depinguntur. Quare Latinis, quod artem Græcorum culpâ amiſſam, vel confuſam alijs & ipſi (ſunt enim ferè Græcorum adſeclæ individui) non excoluerunt, vel in ſapientum conditorijs latentem non produxerunt, minus iraſcendum erit: Regijs inter Arabas & Saracenos familijs reſervata erat Alchemiæ in circum humanitatis revocandæ gloria. Quanquam enim alteram ejus partem, tranſmutatoriam metallorum, & Chryſopœiam, (ut tempore belli Trojani neglectis q. minus neceſſarijs alijs Medicinæ partibus Chirurgia excolebatur magis eratq; celebrior, & ejus nomine tota medicina veniebat) Ægyptijs etiam ſub imperio Diocletiani exercitam fuiſſe inde conſtet, quod iſte cõquiſitos *de auri ex alijs metallis cõficiendi ratione* libros cõburi juſſerit, ne ejꝰ artis beneficio ditati & inflati, gens novarum rerum avida, Romanis deinceps, ut modò duce Achilleo fecerant, rebellarent: de alterâ tamen ejuſdem parte, quæ medicamenta ſanandis

Circ. A. Ch. 290.

nandis

Digitized by Google

nandis corporibus utilia præparare docet & medico ceu inſtrumenta ſanitatis adplicanda exhibet, altum in medicorum acroaterijs, in jatreis & ſeplaſiis, in clinis ſilentium. AVICENNAS, vel ut nomen ejus concipiendum eſſe docuit Andr. Alpagus, *Abuali Alhaſen Ebenhali Ebenſina Perſa vir grandis ingenii, omnium mundanarum ſcientiarum habitu luminoſus, ex regia ſtirpe nobilitatis origine generoſus, virtutum moralium omnibus operationibus gratioſus, ac ſuorum claritate ſpirituum gaudioſus* ante hos ſexcentos annos cum reliquis medicinæ partibus Chemiam deſitam q. & in tenebris deſidem, adjutus bibliothecâ regiâ, in qua nobiliſsimorum medicorum, quorum nec nomina antefuerant nota, volumina ſervabantur, produxit, excoluit, ejusque ope in exercitiô artis multa curationum miracula edidit. Nam & Nuch regis filium à medicis ſuis pro deſperatô habitum, & Eleræ principem melancholiâ laborantem, Abdæ verò regulum doloribus colicis diſcruciatum feliciſsimè ſanavit.

Circ. A. Ch. 1000.

Gent. Fulg. comm. in Avic. Canones.

N. Maſſa in vit. Avic.

navit. Et quis dubitet *librum occultæ philoſophiæ*, qui univerſæ magiæ rationem continebat, eratque epitome conquiſitorum per Chaldæam Ægyptum & Perſiam Chemicorum librorum, ab ipſo conſcriptum technurgematum, eorumque inventorum plurima, quæ hodie vel ἀκέφαλα vel præfixis aliorum autorum nominibus circumferuntur, docuiſſe. Idem per ſcholas Arabiæ ab Almanſore apertas RHASIS, Haly, Artephius, Adfar Alexandrinus, Alphidius: idem ALBUCASIS, qui deſtillationes quaſdam regiæ inter Saracenos genti adſcribit: idem JOHANNES MESUES Abdelæ Damaſci regis abnepos. Hic enim cum de oleis, alia per expreſsionem, alia per impreſsionem, alia per reſolutionem, quando virtute caloris diſgregantur, fieri notaſſet, *plurigena eſſe in concreto occultata & de his conſulendos eſſe alchemiſtas, quorum ſit diſgregatio*; addit. Quin & Chemiatriæ fundamentum ponit in Canon. univ. ubi de modis rectificationum ita: *Exceſſus attractionis ſuperflua & iniquitatis reprimitur*

in l. Servitor;

Sect. 12. antid. in t. de oleis.

in elixa.

in elixatione; ſicut quando decoquimus ali. quid eorum, de quorum malitia formidatur, in concavitate alterius rei, & remanet virtus eius in illa refracta; ſicut v. g. surculum ellebori figimus in radicem raphani & poſt coctionem eius in cinere propinamus raphanum habentem virtutem ellebori repreſſam; & decoquimus scammoneam in syrupis & robub, & propinamus rob & syrupum habentem virtutem scammoneæ. Et hoc eſt illud, quod vocant philoſophi ſeparationem rei ſecundum ſpeciem à re qua eſt ſecundum materiam. Et c. de myrobalanis: *Sunt quidam qui ſeparant in eis quod eſt ſecundum ſpeciem ab eo, quod eſt ſecundum materiam, & eſt modus solennis.* quam doctrinam (fortaſſis rege Mauritaniæ Gebero) in Cordubenſem Academiam, quam omnium artium cultura Mauri & Saraceni, ab Arabibus lampada adepti, & inter doctiſsimos Rabbinorum *R. Iſaac, R. Alphesum, R. Mosen ben Mai-*

mon, R. Abben Ezram, R. Joſephum Cimchi, cum R. Moſe & Davide FF. R. Moſen de Zironda, ſeu Gerundenſem. Medici

Poſt A. Ch. 1100. non diſsimiles Isaac Beimiram, Simeon Sethi, & juxtà quoſdam Aben-Rhois, ac Aben-Zohar, illuſtrarunt, & inde in Mompelienſem Languedociæ derivatam fuiſſe quis vere dixerit, quod alia Meliæ Arabumque & Saracenorum ſtudia & inventa, de quo vel nobilis illa *alchermes confectio*, quam à medicis Mompelienſibus, Falcone poſt & Rondeletio curantibus, reformatam habemus, teſtari poterit, cum medicis profugis Ferdi-

Circ. A. Ch. 1216. nando III. Caſtellæ & Legionis rege Saracenos & Mauros totâ Andaluſiâ & Bœticâ, Corduba, Hiſpali, & Carthagine nova, ubi tria regna conſtituerant, ejiciente, eo commigrârint. Et quis jam eſt qui neget ab antiquitate florentiſsimam Chemiam ſapientum ingenio inventam, regum ſtudio excultam, inque liberalium ſcientiarum numerum relatam honeſtiſsimo inter eas loco dignisſimam eſſe? quamvis eam tribus ſeculis proximis, quæ rerum omnium vices ſunt, iterum occul-

occultari, interque monachorum manus ſecretò verſari oportuerit; non potuit tamen ulterius abſcondi & diutius obſcurâ ſilentij nocte tegi ars humano generi utiliſsima, ſed protracta eſt in lucem eruditorum, purgata ab adſtrictis per impuras manus ſordibus, ineptis etiam & injuſtis poſſeſſoribus, functionum legitimarum deſertoribus, plebanis rabulis, idiotis, agyrtis, aniculis, indoctis medicaſtris, temerarijs Paracelſiſtis, vanis ſophiſtis & tumidis thaumaturgis erepta, acceſsione veterum novorum exornata, proprijs cujusq; obſervationib⁹ & experientia aucta, rationib⁹ ſtabilita, methodica præceptorum ſerie concinnè digeſta, conſtructa, expolita; & Medicinæ Dogmaticæ, ut ἀποῤῥῶξ ejusdem & integrans particula, adſerta, inſerta, conjuncta per viros (DEUS OPT. MAX. EORUM MANIBUS BENEFACIAT!) divinitus huic operæ deſtinatos, ad eam promotos, in eâ adjutos, Germanos, Gallos, Italos, Belgas, Anglos, Scotos, alios πολλοὺς καὶ ἀγαθούς; horum fide, dexteritate & laboribus conquiſita & examinata vetera, collecta & probata recentia, rejecta putida,

rejecta frivola, illuſtrata obſcura, pugnantia conciliata, falſa exploſa, vera & ſana in artis ambitum recepta; quod & futurum aliquando, ſcil. ut ſano adhibito judicio ea, quæ Paracelſus atque ejus adſeclæ utiliter & rectè invenerunt atque prodiderunt ad Hipp. & Galeni rationes adcommodata, ſint in eorundem principatum in arte acceſſoria futura, non vanè viri docti augurati fuerant. Beneficio irremunerabili ſemperque memorando & Medicinam, neceſſariâ eam ſui parte perficientes, & Chemiam ſuo toti & dominæ eam poſtliminiò reſtituentes; imò omnes harum cupidos medicos & ægros, artem omnibus numeris jam abſolutam exhibentes & docentes, æternùm ſibi devinxêrunt. Ingratiſsimi ſimus, SYMMYSTÆ, niſi illos inter gratiſsimas neceſsitudines diligamus. *M. Antoninus philoſ. Imp.* laudatiſsimus univerſim omnibus magiſtris ſuis tantùm honoris habuit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac ſepulcra eorum aditu, hoſtijs, floribus ſemper honoraret: Nos horum gratam memoriam, & ad quamvis mentionem reve-

Mich. Barth. Prof. Lipſ. A. 1569. Ep. med. Scholtz lib. p. 486.

rentiâ

rentiâ & ſolenni adprecatione. Optimè pro ſumma ſuâ perſpicaciâ animadverterunt illi, qui vel particulas & lacinias q. quaſdam artis Chemicæ agnovêrunt, excoluerunt, & collectas nobis reliquerũt, vel univerſâ per præcepta tradidêrunt, *Geſnerus, Dornæus, Scaliger, Fernelius, Joh. Albertus V Vimpinæus, Matthiolus, Crato, Platerus, P. Severinus, Muffetus, Zuingeri, Quercetanus*, R*ulandus, Mindererus, H.* R*eusnerus, J. Bapt. Porta, Hartmãnus, Brendelius, Sennertus, Libavius, Untzerus, Petræus, Penottus, Sala, Crollius, Mylius*, R*henanus*, infeliciter & in cognitione rerum naturalium, quæ Phyſicum exercet, & in exercitiô artis, quod [illegible] sæpiſsime ſibi cedere & optime cogitata accuratèq; penſitata peſsime præterq; ſpem & ſcientiam omnem cadere: ingenuè faſsi, *in cathedrâ sanari omnes, in praxi verò plurimos interire.* Modò enim in alimentis, medicamentis, rebusque naturalibus alijs ij deprehendebantur effectus, qui ad elementares qualitates referri nequirent: ſæpè etiam

omninoq; contrarij: modò in mixtis partes quædam acidæ, impuræ, malignæ, & virtutum ſeu actionum remoræ corporeæ conſpiciebantur: modò in cauſis morborum & ſymptomatum ad præcepta Hippocratico-Galenica tanquam ad regulam Leſbiam examinatis divinius, occultius & ſuperius quid elementis & horum ſymbolis humoribus animadvertebatur: modo in eorundem depulſione & correctione operam ludi fruſtraq; laborari ſola methodo & medicamentis veterum querebantur. Hi defectus maturè cogniti ſupplendi: hæc infelicitas quoquomodo excutienda: quoquo modò ad perfectiorem primævæq; ſimiliorem medicinam poſteris tradendam adſpirandum erat. Spageiria itaque Chemica in ſubſidium advocata, ſeu verius, revocata: hac occulta mixtorum inveſtigando demtis elementorum inefficacium quiſquilijs, περιςτάσεσι, & involucris principium vitale, eſſentia proprietatibus formalibus fœta eruitur, poteſtas rei ſimplex elicitur nudaque ſiſtitur medico, & recondita rerum quarumvis naturæ in apricum ſub cor-

porum

porum puriſsimorum ſpecie producuntur, quas ratio etiam limatiſsima, & vel Lyncéi oculi penitrare non valuerant. Hac cuilibet mixto connata, ſive naturæ id requirebat grata varietas, ſive jus divinum & maledictio id volebat, fæculenta & inutilia, quæq; quædam virium compedes ſunt, ſegregantur, emergúntque ſimul ſub ſpecie ſalis, oleoſi, & liquidi nudæ & palpabiles, multis anxiæ ſpeculationis agonibus, tot capitis ſcalptionibus, tot unguiũ roſionibus; non exterebratæ proprietatum actionumq; in uno ſuppoſito diverſiſſimarum cauſſæ. Hac per digeſtiones, rectificationes, circulationes, alia ſapientum inſtituta, reſolutis mixtorum compagibus, ſpiritibus veneficis ſegregatis, ſecluſo deſtructoq; ente mortis, terraque damnata & elementis vacuis abjectis, eſſentię ſalutares, entia ſalutis, ſucci ſinceri calamitati humanæ ſolandæ & ſublevandæ nati, & ad centra morborum usq; aliis inacceſſa penetrantes præparantur & exhibentur: ut poma Heſperidum non niſi abacto interfecto vel ſopito venenato & terribili dracone. Et quid aliud eſt Poëtis

memo-

memorata MINERVA κορυφαγενὴς è cerebrô Jovis obſtetricatu Vulcani nata, quàm virtute ignis, artis induſtriâ recti, è rebus ejuſmodi præ ſe non ferentibus prolecti liquores eſſentiales, ſpiritus inſitus, humidum radicale & naturæ balſamum ab elementorum concretione liberum: Ignis διδάσκαλος τέχνης πάσης βροτοῖς πέφηνε καὶ μέγας πόρος. Neque ipſa mater rerum Natura docere nos aliud voluit, cum lacrimas, gummata, reſinas ſolis elicio protruſas in fruticibus & arboribus oſtendit; neque aliud cum facultas naturalis operâ ſecreticis & expultricis damnat alienitates excrementitias iisq; ſequeſtrandis, ſuum cuilibet, conſtituit emunctoria, ſulphuri occidentali cum mucilagine tartareâ anum, ſali veſicam, habitum corporis ſeu cutem &c. utili & alibili in ſubſtantiam corporis nutriendi adſumendo & adſimilando retentô. Illâ igitur nobiliſsima utiliſsimâque ſcientiâ medicum inſtructiſsimum eſſe oportet, ut exiſtimem VULCANI & PALLADOS matrimonium ære expreſſum olim & Athenis pro foribꝰ curiæ & aram in Academiâ Vulcano & Palladi communem

Ovid. l. 3. Faſt. Lucian. Dial.

Aeſchylus Prometh.

Hartm. Nat. Conſ. Med. p. 27.

Digitized by Google

poſitam non tàm ſignificaſſe, quòd virtuti cum doctrinâ arcta ſit communio, aut quòd conſilio prudenti & cunctatione maturato celeritas executionis jungi debeat, quàm quòd omnibus rebus quæ ſunt, quæ erunt, quæ fuêrunt, quæ Palladis apud Ægyptios erat inſcriptio, Vulcanus h. e. ignis tanquam fidiſsimus interiorum perſcrutator ritè copulari debeat: ſecùs facturos non illis Tiberij Cæſ. oculis quorum alia fuit natura quàm cæterorum mortalium; *videbant enim etiam noctu in tenebris, licet ad breve, & cum primùm à ſomno patuiſſent*; ſed promiſcuæ multitudinis, iiſque ut ad Solem intuendum nycticoracis imbecillis, Naturæ ſingularia ſuperficiariè contemplaturos, & ut alicubi SCAL. jocatur, murem farina aſperſum pro domino piſtrini (pudendum παρόραμα!) agnituros. Exemplum eſto è naturæ agro petitum ſuccus è vulneratis papaveris capitibus ſtillans, & concretus è Turciæ confinii Aſiâ & Natoliâ in Europam adferri ſolitus, OPIUM vocant; vel, ſi ita vis, MECONIUM. Id quia ſummè ſtupefacit, pondere minimô narcoticum, de-

Plin. l. 11. c. 37.

Suet. Tib. c. 68.

Diosc. l. 4. c. 65. Matth. ibid.

H leterium

leterium, frigidum pronunciat Phyſices Ariſtotelicæ auditor, vel etiam lector immò ferè omnis medicorum turba: Atqui amarum eſt, ἀγαθὸν, & adeò acre, ut etiam fauces inflammet, linguamque & palatum exulceret: amara verò quæ ſunt, calida ſunt Galenicâ hypotheſi. Quin & graveolentia & inflammabilitas & ſudorum provocatoria poteſtas & quod toto corpore pruritum excitet, partes quaſdam calidas ei ineſſe, ſubmoneant. Quorſum ergò nunc? Principiorum, quæ Chemicis debemus, evolutio actionum diverſarum in opiô cauſas patefaciet. SULPHUR ejus ſeu ſubſtantia oleaginoſa, dulcis, inflammabilis, & vaporoſa narcoſeos effectrix eſt, poteſtque & ſolet à peritis inutile quod eſt & virulentum vel ſolâ in liquore appropriato ſolutione & digeſtione ad ſuperficiem evocari; unde poſt cochleari inſtar ſpumæ demitur, pars verò purior à fæculentis per lacinias abſtrahitur: vel ſegmentis ejus in laminâ ſuper prunis diſpoſitis, maleficum quod habet exudare cogitur. SAL verò ſub ſpecie terreſtris ſubſtantiæ amarus eſt, calidus, partiumque tenuium; per quas.

Scal. Ex. 175. §1.

4. ſimpl. med. fac. 7. 9.

Libav. alchem. pharm. c. 6. f. 151. Quercetan. Pharm. Dogm.

quæ ſudores movet, non vulgare inter diaphoretica medicamentum. In VITRIOLO admiratur GALENUS, quomodo vehementiſſimæ adſtructioni admixta ſit caliditas non inſtrenua: Vim enim ſtypticam frigiditati & terrenarum partium craſsitiei acceptam refert; eique propterea quod terrea ſint ex prædominio & foris frigeant tactu omnia mineralia, etiam Mercurius, qui tamen purus purus ignis eſt, omnia exedens, diſsipans & conſumens, etiam lapides ſulphurei & bituminoſi, erunt in cenſu frigidorum. Sed admirationem hanc vitrioli anatomia tollet; Ea exhibet PHLEGMA inſipidum, SPIRITUM acidum, verè panchreſtum, theodoretum, & ſoterium, corpora ſolida diſſolventem, viſcida incidentem, & Spiritus volatiles, exhalationes nitroſulphureas, figentem, conſtringentem & congelantem; OLEUM corrodens acerrimum; SALEM emeticum, & SULPHUR, nepenthes ſ. dolorum mitigativum famoſum; præter ſubſtantias alias diverſiſsimas: Eſt enim reverà glacies illa benedicta & vitrum cryſtalloeides omnium fere mineralium virtutibus

Plat. part 2. prax. p. 1618. & paſſim.
9. ſimpl. fac.

Fallop. de foſſil. c. 37.
Ruland. problem. Chy. 49.

Quercet. l. d. c. 18. p. 607.
Libav. contrad. cit alch. pharm. c. 52.
apoc. Herm. p. prior. c. 14.
ſynt. arc. Ch. l. 7. c. 36.
Minder. l. de Chalc. c. 2. & 40.

tutibus imprægnatum, quas Spagiriſ ſolertibus non invitum offert: deprehenduntur q; in alijs arte ſegregatoriâ diverſiſsima & maximè contraria, in calidis frigidiſsima, in frigidis calidiſsima, & quorumlibet principia & radices proximæ manifeſtantur. Sed quid Soli lucem fœneror & rem jam indubiam probatum & perſuaſum vobis eo, AUDITORES; Phyſices, INQUAM, Ariſtotelicæ & Galenicæ imperfectionem: Experiuntur id hodieque pleriq; ejus in ſcholis doctores cum rubore, indignatione, tædio, ſentiuntque revera, non admiſſa in ſocietatem Ariſtotelicæ Phyſicæ practica Chemiâ, & principijs Hermeticis, nec odorum, nec ſaporum, nec colorum, nec aliorum innumerabilium in naturâ obviorum adfectuum effectuumque rationes ſufficienter explicari poſſe; ſuntque philoſophorum materialium & elementarium de naturalibus ſermones & contentiones λῆρος μακρὸς ὅμοιος ταῖς παρακεντουμέναις αἰξὶν ὀλοσχοίνοις ὀξέσιν, *nugatoriæ ſimilesque vociferationibus caprarum, quæ acutis iuncis punguntur*, ut de anatome Empeiricorum Galenus loquitur.

tur. Eadem planè res eſt cum de cauſis morborum, præſertim peſtilentium, veneratorum, inſolentium, & magnorum quæritur; audias miſeras circa ægros ſententiarum concertationes adferuntur cujusque rei, morbi, ſymptomatis, invaſionis, exacerbationis, remiſsionis, mutationis, ſolutionis cauſſæ, ſed eæ [illegible] & animum ſciendi avidum non exatiantes, concurritur certatim ad illa Galeno ſacra, *calidum, frigidum, humidum, ſiccum*: quibus ſi illas HIPPOCRATIS δυνάμεις, πικρὸν, καὶ ἁλμυρὸν, καὶ γλυκὺ, καὶ ὀξὺ καὶ στρυφνὸν, καὶ πλαδαρὸν, *amarum, salsum, dulce, acidum, acerbum, inſipidum* jungerent, & majoris minorisq; mundi harmoniam, non quidem in formis ipſis & externis rerum ſignaturis, ſed in proprietatibus & tincturis ſeminalibus vitæ & poteſtatum cuſtodibus conſiſtentem contemplarentur diligentiùs, & cauſas ſympatheiarum & antipatheiarum in naturâ & homine rimarentur curioſiùs, multa naturæ morborumque occulta manifeſta, & de ijsdem dubia fierent certiſsima. Contrà ſine horum cognitione Naturæ [illegible] irrum-

3. de med. & p. c. 3.

l. de priſc. medic.

pentes, talpatim in eo obambulant ἀντὶ σώματος σκιὰν, cum Ixione nubem pro Junone amplexantur, carbones (ne illud Paracelſi CARBON dicam) pro theſauro & inveniunt & juventuti ſpe attonitæ obtrudunt. *Ite ergo*, filij doctrinæ Phyſicæ & reconditioris Philoſophiæ cupidi ſtudio: *vendite agros, ædes, veſtes, annulos*, comburite libros, *emite calceos; montes accedite, valles, ſolitudines, litora maris, terræ profundos ſinus inquirite: animalium diſcrimina, plantarum differentias, mineralium ordines, omnium proprietates, naſcendi modos notate: ruſticorum œconomiam & terreſtrem philoſophiam ediſcite: nec vos pudeat tandem carbones emite, fornaces cōſtruite, vigilate & coquite ſine tædio:* Ita enim pervenietis ad corporum proprietatumque cognitionem.

Sever. Id. med. philoſ. c. 17.

Cæterum, *Auditores optimi*, cum tantum quisq; medicus curet, quantum cognoſcit, quod in omni diſciplina practica ſpeculatio ad actionem directa ſit, & ob opus quoddam ceu finem inſtituatur: cognoſcere verò

ſubjecti

ſubjecti ſui ὕλη, imò nec inſtrumentorum ſuorum naturas ſine adminiculô CHEMIÆ nequeat; quomodo, quæſo, opus & finem ſuum, qui ſanitas ægroti eſt, ſine eodem conſequetur? Requiritur igitur præter morbi διάγνωσιν, remedij ſeu auxilij inventio per indicationes, materiæ auxilij per methodum medendi determinatio & adplicatiô, ejuſdemq; in parte pharmaceuticâ legitima præparatio, ſiquidem aliquâ impræſentiarum opus; quæ operationes omnes è therapeutica Medicinę parte dependent, cujus cum CHEMIA pars integralis ſit, quomodo ſine hac totum non erit mutilum? Per medicamenta autem Chemica finem ſuum adſequitur Medicus, CITIUS, JUCUNDIUS, TUTIUS.

C I T I U S agunt medicamenta Chemica: Sunt enim corporeis compedibus exolutæ demtô corpore & teſtâ impurâ, viribus exaltatæ ad analogiam quintæ naturæ, συνεχεῖ τῇ ἀρχῇ actui viciniſsimæ, & operationum præſtantiſsimarum eſſentiæ, leviter motæ halitus potentes expirant, actuantur in ore, naribus, ſuturis, arterijs celerrimè. In apoplexiâ,

plexiâ, Epilepſiâ, ſyncope, utori ſtrangulatu, difficili partu, morbis acutis & venenatis alijs, ubi auxilio præſentiſsimo opus eſt, quid agerent ignavi terreſtreſque pulveres, faſtidioſæ decoctiones, abominabiles ſyrupi, electuaria ponderoſa, infuſiones ſordidæ? quid in oppilationibus, cachexijs, febribus diuturnis, dyſpnœa & aſthmate contumaci, paſsione hypochondriaca melancholica, maniâ, partium quarumvis intemperiebus, & doloribus inveteratis; ubi jam natura, extincto & exſoluto ferè vi morbi, ſæpè etiam pharmacorum copiâ, calido nativo languet & ceſpitat, iſta? quid in paralyſi, anginâ, œſophagi inflammatorio adfectû, cum ne ſorbere quidem jurulenta ægroti valent, tot pilularum deglutiendarum paria? Οὐδὲν. Omnes numeros hîc explebunt Chemica, Θεῶν χεῖρες; quæ quicunque medicis eripiunt, quod Jovi ignem ſuffurentur, quo ipſi uti nec ſciant nec velint, κύνες ἐν φάτνῃ CANES IN PRÆSEPI, accuſari poſſunt. DIXI JUCUNDIUS: Loquuntur hoc ægri, medicorum libri & teſtes: minimâ enim doſi exhibentur, nec odorum, ſaporumque inſuavitate aut colorum peregrinitate

tate offendunt. Libentiùs adſumet ægrotus conſervæ roſarum, ſyrupi è ceraſis cum floribus tunicis, vel è cinnamomo modicum, cui grana pauca Mercurij catocathartici, turbith mineralis, arcani corallini vel alterius magiſterij purgantis Chemici admixta ſint, quàm electuarij diacathol. benedictæ laxativæ, aut confect. Hamech tot drachmas: libentiùs pilulam benedictam Quercetani, vel tres quatuorvé panchymagogi, quàm duodecim, quindecimvé è cochiarum, fœtidarum, aurearum maſſa formatas: libentiùs aquæ theriacalis, vel ſalis cardui benedicti, fraxini, apſinthij drachmam, quàm decocti alicujus ſudoriferi tot uncias: lubentiùs aquilæ vomitivæ dictæ, cryſtallorum vitrioli Veneris vel florum antimonij alborum parum, quàm decoctionem ex aſaro, corticibus ſambuci, geniſtâ, helleboro albo &c. vel hauſtum ex aquæ calETIS uncijs novem cum olei rанceſcentis tribus vomitum laborioſè concitantem. Et quotusquisq; medicorum eſt in publico (umbraticos enim & ſolâ ſpeculatione ſuâ beatos talia non tangunt) qui non quotidie experiatur,

palato ægrotorum nimis quàm delicato multum eſſe dandum, quique de medicamentorum quantitate & ſaporibus tàm ſollicitus, quàm de eorum virtute curioſus eſſe & cautus non teneatur? Quod ſi qui nimis auſteri minus obſervent, arti odium & crudelitatis ſuſpicionem, ſibi verò tædium contemtumq́; accerſunt, & χαρίεντες illi Ariſtotelis appellari non merentur. DIXI TUTIUS: Certè tutiùs exhibentur, quæ ſeclusis omnibus qualitatibus nocivis aut ſaltem feliciùs obtuſis, maligno ab alexipharmaco, corporeo à ſpirituali ſequeſtrato propinantur, nec ullis fæcibus ventriculum incruſtant, aut partes nutritivas gravant etiamſi ſæpè reiterentur, nec diu impacta partibꝰ eaſdem vellicant.

Crato Præf. Exerc. Scal. *Quis igitur tàm imperitus rerum æſtimator, qui tuta periculoſis & pura impurioribus non præferenda putet? Certè alia Galeni ſummi medici eſt ſententia.*

At è mineralibus & metallicis venenatis, naturæ humanæ planè adverſis, totaq; craſi & naturâ ſuâ alienis conſiunt: pleraq; acria,

corro-

corroſiva, calidiora, quàm ut conveniat, exiguâ doſi fallentia, & valentiſſima; grave empyreuma redolentia, & partibus principalibus malignam imprimunt diſpoſitionem, calidum nativum exceſſu caloris diſſipant, deleteria ſua vi mortem accelerant principijs vitæ magis quàm cauſis morborum adverſantia, inquiunt. Veneficijs his hominum minuitur numerus, quaſi non ſat venenorum produxiſſet natura, ni Chemici ſua profeſſione illam augerent labem carnificinæ faciendæ non medicinæ. Utuntur HYDRARGYRO cerebrum & omnia membra lacerante, tremores & convulſiones nervorum poris & villis ſe inſinuando concitante, eaque ingerenda præbent in ventriculum, quæ certò venena eſſe conſtat. Quidam è *tartaro nitroque* lenis ignibus aquam eliciunt quam aqua regis miſtam ægrotis magna quantitate propinant. ANTIMONIUM exhibent metalla cuncta exactè depurare ſolitum, una cum corporis ſordibus & ipſas animæ ſatellites ſpiritum caloremq; ingenitum eliminantes. Porrigunt

Libav. Ep. Chym. 1. l. 8. p. 12.

Zuing. exam. Chym. princ. c. 2. p. 22.

CINNABARIM tàm nativam quàm factitiam, ex hydrargyro & ſulphure confectam, chalcanthi aquam haurire præcipiunt, omnia cum tantô cruciatu conjuncta, ut quidam convulſi interierint, aliqui laceratis eroſisque faucibus ventriculoque cum incredibili ululatu ad inferos diſceſſerint, quibuſdam cordis vena disrupta ſanguinem vitalem cum anima profuderit; aliquibus puncturæ totius corporis exitiales extiterint. ERASTUS certè non dubitavit iſta medicamenta diabolica nominare, quorum baſes ſunt ea, quæ natura provida ſub terræ cavernas relegavit, ne ſtatum ſalubritatis venenatâ contagione everterent, intacta relinquenda; quæ tamen ipſa ſola hominum curioſitas, ut ſcilicet capra gladium, quô jugularetur, inveniret, & inſana multiplicandi ad uſum ſanitatis entia libido protraxit. *Titulo medicorum remedia habent, pyxides venena.*

Grandis hæc dica eſt, Auditores: caput jugulumque Chemiæ petit: at illa exeat ictum, ſaxo.

Summa eſt Creatoris cum bonitate immenſâ

menſâ ſapientia, quòd non vegetabilia ſolùm & animalia medicinas homini condiderit, ſed & minerales ſuccos, corporaq; metallica: earumque tantam copiam, ut ſi æſtimes unicuilibet morborum, qui tamen innumeri ſunt, in Naturæ theatro infinita oppoſita ſint remedia: Et qui vos eſtis miſeri ſapientuli homunciones, quiquæ ſapientiſsim⁹ medicinas eſſe voluit nolitis? Non excludit Medicina Hermet. vegetabilia; etiam cruda & integra adhibemus, cum inutiles partes & fini noſtro contrarias nullas reperimus, & vires in totô reſident: reſolutis utimur, cum vel fæces comites id requirunt, vel virtutem quęrimus eam, quæ in aliquâ compoſiti parte hæret: Nihil moleſti⁹ περιεργία quinteſſentianorum, & unguentô in lente nihil temerarium magis. Οὐ χρὴ ἐν τοῖς δέοντι χρῆσθαι τῷ δέοντι: Quaſi prodeſſe aliquid non poſsit, niſi precioſum: Ap. Cent. [illegible] par. 15.

Non Deus interſit niſi dignus vindice nodus Incideril: Horat. [illegible] Poet.

nec metallica Chemicéque laborata alia niſi morbi contumacia & cacoethes talia exegerit. Neque verò Dogmatica jure metallica

 exclu-

excluſerit. Sunt enim horum ſpiritus corruptioni quàm minimè obnoxii, durant diutiſſimè, & potentiſsimè penetrant, *longoq́; poſt ſe intervalla relinquunt, quæ in pharmacopolarum officinis parata reperiuntur medicamenta. Oblata enim epilepſia vel lepra, vel paralyſi, vel alio gravi morbo fruſtra ad vulgares medicinas accurrimus, tandemque ad arcana confugere cogimur, ſi noſtro munere fungi ægrumque ſanare volumus:* Et quales morbi methodô Italicâ ſanentur quotidiana monſtrat experientia: pauci videlicet verè melancholici, pauci Quartanâ diuturnâ laborantes, epileptici, paralytici, hydropici, pauciſsimi; leproſi, podagrici nulli. Noſtris verò temporibus epilepſia, contracturæ, hydrops, dolores colici omnes, melancholici morbi, paralyſis, pluriminque alii graviſsimi morbi ſanantur. Cujus rei paulò poſt has reddit cauſas: 1. quod morbi perfectiùs cognoſcantur; 2. quod perfectiora medicamenta quàm olim habeantur; 3. quod harmonia majoris mundi cum minori patefacta ſit, ut ſcia-

Iohan. Alb. VVimpinæus excurſ. defenſiva l. de conc. Hipp. & Parac. ad Guilh. Ducem Bavar. Anno 1568.

tur quodnam medicamentum è præſtantiſsimis huic vel illi membro familiare ſit & amicum: & hæ virtutes appropriatæ ſeu ſigillativæ ab elementaribus qualitatibus non poſſunt prohiberi. Præterea ſit ut fingunt, *metallica eſſe venenata*: artificis eſt & venena cum requirit neceſsitas probe uſurpare poſſe; ſicut conſuevimus in tyro ſerpente maris mortui, & viperâ, in opio, eſulâ, hyoſcyamo, mādragorâ, cantharidibus, cicutâ, helleboro &c. *cum morbus magnus eſt, cum tentata ſunt communia auxilia, venenis etiam experiri oportet, tamen ut vel emendata venena eſſe deſinant vel exterius adplicentur*: Et quid multa? Laudatus ante WAMPINæus, qui ante hos quinquaginta annos ob ſtudium Chemicum & judicij libertatem, quòd nulli ſectæ addictus cum Græcis, Arabibus, Latinis medicis etiam Paracelſum, & cum his omnibus naturæ inquiſitionem conjungeret, eandem fortunam, livorem ſcilicet malevolorum & imperitorum reprehenſionem expertus eſt, reſpondit; *Cum venena naturam habeant no-*

Libav. de nat. metall. append. ad c. 15.

Card. ſ. 1. m. m. c. 77.

ſtra

ſtra inimica, eamq; deſtruentem, bonus certè medicus iis nunquam utetur; neq; ut alij eis utantur concedet; cum natura iuvanda ſit, eaq; exhibenda, quæ ipſi adverſa propellant. Itaq; & hic magna nobis facta eſt iniuria, cum neq; domi neq; foris venena præparemus; cum potius conemur res venenoſas in ſalubres transformare, ex ijsque arcanum, quod præclarum eſt, extrahere. Quid verò fiet antiquiſsimis medicis, qui nec ab his abſtinuerunt, anne & illos capitum arceſſent? AURUM & ARGENTUM, quæ ſulphuris antimonijq; additamento purgari videmus, & hydrargyri veſtigia habent, quod fortè & Aëtium ab eorum uſu abſterruit, venenorum claſſe exemtum & inter cardiaca relatum, confectionem alchermes, & de hyacintho, ſpecies Lætitiæ Rhaſis & Galeni, auream Alexandrinam, & Diathamaron Nicolai, electuarium de gemmis calidum & frigidum: Nicoſtrati infuſum Gal. commendatum GYPSUM, SULPHUR & tres ANTIMONII drachmæ: Perſicam antidotum Myrepſi, quæ remedium

19. med. ſ. loca c. 5.

medium eſſe creditur cephalalgiæ, uteri, febrium intermittentium SULPHUR & ARSENICI CRUDI drachmæ quinque: antidotum è Zingibere, quæ apoplexiæ, epilepſiæ, maniæ & Quartanæ conferre ſcribitur; ANTIMONIUM: antidotum Pauli ad aphoniam, aſthma, dyſenteriam, & colicos dolores deſcriptam SULPHUR CRUDUM: trypheram è ferrô, *ſcobs chalybis & ferri ſtrictura*: pilulas de nitrô Al. Tralliani SAL GEMMÆ: theriacam CHALCITIS USTA, quam tamen omittunt Patavini: mithridatium magnum Nic. Myrepſi *ſulphur ignem non expertum & nitrum* ingreditur. Galenus ÆRIS SQUAMÂ colicos dolores, Trallianus hypoſarcam, Cœlius Aurelianus epilepſiam, Bulcaſis cachexiam & tabem ſanat. Dioſcorides vitrioli crudi drachmam cum melle exhibet verminoſis & qui è fungorum eſu ſuffocantur. Quô verò privilegiô & ipſi aurum ignitum, quaſi id vires in liquores cardiacos depoſuerit, & foliatum pulveribus ammiſtum alijs, & gemmas comminutas, & chalybem uſurpant, ut in his præparandis luxuriare videas & quaſi certare? — l. 5. c. 46. — Claudinus de remed. generoſ. p. 9.

K cur

cur deſperatos ad thermas & acidulas ablegāt & comitantur ipſi? cur Braſavolus necandis lumbricis, Rondeletius, Fallopius, Saxonia, & Steeghius lui Venereæ expugnandæ, alij partui facilitando argentum vivum? cur Fallopius ictericis crocum Martis; Cardanus, Julius Alexandrinus, Zuingerus, Platerus, Budæus, peſte infectis antimonium? cur ferè omnes ſulphur ſive crudum ſive ſublimatum in pulmonum adfectibus exhibent? Reverà ne, quod in alijs vitium reprehendunt, in eô ipſi deprehendantur valdè vereor; accuſent colocynthida, MORTEM IN OLLA, ſcammoneam, helleborum, cucumerem aſininū, hermodactylos, lathyrim, coccognidium, euphorbium, eſulam, mezereon, *vitam rapiens & viduas faciens*, thapſiam, aconitum, peplium, tithymallos, elaterium, lapidem Armenum, *nocentem ſtomacho generando ſubverſionem & faciendo cum anguſtia ſolutionem*, lazuli, ſalem Indum ſeu naphthicum, alia omnibus officinis ex uſu medicorum notiſsima: quæ ſi præparatione conveniente miteſcere, additione aliorum corrigi, lotione,

Knobl. tr. de lue Vener. p. 2. c. 1. Matthiol. l. 3. Ep. f. 158.

Cic. act. 5. in Verrem.

tione, toſtione, uſtione, coctione, deſpumatione, infuſione, digeſtione, benigna reddi dixerint, cur idem de metallicis in verorum artificum manibus & poſſeſsione non concedent?

SPIRITUS μοχλικὸς & malignus purgantium venenatorum mediantibus extractionibus & digeſtionibus evaneſcit, & vehementia fiunt vel mitiſsima, vel certè vulgaribus è vegetabilium ordine benigniora. Quia enim vis purgandi turbandiq́ue metallicis congenita in ſpiritu & parte volatili conſiſtit, refractam eam habebis, ſi hunc fixaveris vel permiſeris exhalare, quòusq́ue oportuerit & volueris, levi negotio: in vegetabilibus verò malignitate ſua exuendis, quòd in ſale ea lateat & ſine totius compagis reſeratione omnis vix poſsit ſecludi, difficiliùs nec adeò exactè idem obtinebis, ſed vel corpus habebis viribus omnibus exutum & inutile, vel cui δραστικοῦ violenti aliquid adhuc ſit concretum. Illorum tamen fatua promiſſa & hyperbolas, qui antimonij & mercurij, ut

mannâ tutiora & benigniora cathartica fiant, elaborationem oſtentant inter fumos nugonibus & ſophiſtis familiares habemus: ὁ μὲν λόγος θαυμαστὸς, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος, repoponentes. Admirabile Chemicæ artis opus eſt, & ijs qui niſi quod ipſi dicunt & ſentiunt, ſanum nihil putãt, incredibile, arſenici quod venenatorum extractum quaſi quoddam eſt & eſſatum virus, tantæ perniciei ut drachma ejus una equum quemvis intrà novem horas ſtrangulet, fixatione per ſalem petræ in utilem medicinam in ulceribus mali moris, cancro, lupo, fiſtulis, gangræna, venenatis vulneribus transformatio. *Eius rectè præparati uncias aliquot cum pane inſtar butyri edi vidiſſe se,* ait quidam; ſed non animadvertit fortè proprias ejus vires omninò deſtructas, corpusque ἄποιον fuiſſe id quod comedebatur. Quin & fabulas habebunt hoc, è vitriolo ejus phlegmate & ſale ammoniaco mixtis; imò è ſtercore bubulo, ſublimatione aquas elici ambræ odorem ſpirantes; ex humanô verò Zibetham orientali non inferiorem odore digeſtione ſeu fermentatione, quam fragrantiam etiam obſer-

Plut. apoph. Lacon.
Quercet. de vuln. ſclop. Mind. de chalc. c.10.

Gram. apol. ref. cal.

obſervare mihi licuit, per ſolam ſine additione cujusquam pomorum curtipendulorum Borsdorfianorum conciſorum tum, cum jam liveſcere inciperent, in vaporosô balneô lentiſsimo digeſtionem & putrefactionem; ut jam planè digni ſint, talia negantes antichemici artisq; miracula ſua metientes ignorantiâ, quos tirones & caculæ pyrotechnitarum de Chemia imperitè garrientes, ut pueri Apellis Alexandrum in pictoriâ σολοικίζοντα, falsè derideant, & ſomniatæ majeſtatis larvas ſannis & pipulis excipiant. *Nulli rei contradicito: Nulla enim res eſt, cui non ſit locus ſuus.* *Quod cum ita ſit* (verbis Wimpinæi) *omnes vos qui medicinæ operam navatis, rogatos volo, ne temerè, quæ nondum intelligitis, arcana reprehendatis: sed quoad eius fieri poteſt, operam detis, ut cognoſcatis, cognitis* utamini; interq; utendum, quia *ſe vobis coram mirabilis effectus* oſtendet, DEO gratias agatis, *ſciatisq; multa adhuc in artibus latere* præclara, quæ ipſe aliquando *ſibi caris oſtenſurus ſit*: è quorum numero ut R. Simeon F. Azai ap. Dr. apophth. lib. l.1. p.240.

 ſimus,

ſimus, optandum eſt & conandum. Acrimonia verò, ſi ob quam Chemica medicamenta ſuſpecta ſunt, non operationi artificis, nec inſtrumento ejus igni accepta ferenda eſt, ſed ſalium volatilium fugæ, vel fixorum perſeverantiæ: quod & Galenus perſpexit, cum metalla acria & mordentia ignis examini ſubjicit, quæ & eô fiunt mitiora, ut in chalcitide patet: Alia verò minùs aduſtionis retinent, quod ſulphur peregrinum uſtione conſtante ſit abſumtum? De corroſione ſcarabæi umbra eſt & inanis metus, quòd eorum longè alia ſit operatio in corpore vivo & ventriculo noxijs humoribus referto (ὕδει γὰρ ὁμοίως ἰσωθέντα καὶ ἔξωθεν ἐνεργεῖ) quòd ſine vehiculis corroſionem, ſi quę guſtui videtur, retundentibus non exhibeantur: quòd omninò, ut in ſpiritu vitrioli oleo tartari, in ſale tartari & aquis regijs oleô ſulphuris poſſit, ſi volueris, refrænari; quòd interdum requiratur, ut in ulceribus phagedænicis & olidis carcinomaſi corroſio: Quin & empyreuma, ſi quod offendat, facilè eluitur. Quomodo verò partes principales malignâ diſpoſitione inquinabunt,

quæ

9. ſimpl. m. fac. c. 62.

1. de ther. ad Piſon. c. 18.

1. de temperam. c. 3.

quæ maleficia ſua artificum operationibus exuere coacta ſunt; quomodo caloris exceſſu nocebunt, quem in ijs ignis jam diſsipavit; quomodo calorem nativum deſtruent menſtrua calida, quæ ſeparata eſſe dulcor, ſæpè inſipiditas, arguit. Etiam bezoardicorum doſis exigua eſt, & ſufficit theriacæ drachmam; pulveris radicum contrayervæ & lapidis bezoar grana pauca, cum electuariorum antilœmicorum aliorum unciæ, *ſpecierum liberantis* drachmæ exhibeantur. Neque activitas venenoſitatem probat, cum multa in uſu quotidianô ſint actuoſiſsima, quæ tamen non abhorremus, & venena quædam admodum lenta, ut ſalivæ caninæ & Syphilidis, deteſtandôque magiſteriô id adepta reperiantur, ut bienniô, annô, menſibus ſex, tribus, duobus, unô, citiùs-tardius interimant. Et ſi fortè formidabilia & gravia accidentia uſum ſpageiricorum ſequuntur, cur ea non ijs qui vel tempeſtivè adhibere imperitis & malè credulis tirunculis, vel qui ritè præparare neſciêrunt tenebrionibus Paracelſicis & ſtupidis ciniflonibus potiùs imputas, quàm medicamen- Codronch. de hydroph. l.1. c.5.

dicamentis ipſis? *Temeritas etiam optima quævis, & vulgaria, ſuſpecta facit & noxia. Mannam cum facilitate choleram educere docuit Meſues:* exhibem⁹ eam etiam infantibus ob expertam benignitatem; at puerperæ aliquando propinata à medico rationali & lege artis lethalem ὑπερκάθαρσιν induxit, quod D. HETTENBACHIUM p. m. nos monere memini. Violentię cauſa ſcammonea neſcio cujus temeritate eidem ammixta reperta eſt: & fuit fortè illa quam à medicô quodam Brachmane in urbe Cochin degente, ex amylo, manna cujuſcunque generis, ſcammonea, & ſemine VISA dicto, lathyridis grano ſimili componi, minori pretio in Ormuz venalem, & vulgo uſitatam eſſe vidit CHRISTOPHORUS à COSTA. Τὸ ἀπερίσκεπτον μεγάλας φέρει βλάβας: Abſque methodicô diſcurſu etiam optimis medicamentis non tutò utimur, & ubi excultum à ſcholâ philoſophica judicium experimenta non regit, caſus eſt; quo ſe oſtentare ſolent effrontes Theſſali, multa de artis ſuæ myſterijs fortiter mentientes, & ſubita metamorphoſi ex unguentarijs

l. arom. or. Ind. p. 16.

Dioſc. l. 6. præf.

rijs facti, ſuâ quidem perſuaſione, chryſurgi, quorum aliqui licet ultrà mortaria & piſtilla non ſapiant quidquam, arcanorum tamen multorum ſcientiam ſibi arrogantes, à remo ad ſuggeſtum properant & quicquid è furnulis ſuis per luſum exijt, pro eſſentia chemica, pro auro potabili, pro pulvere aureo, obvijs imperitisque oſtentant, medicinamque, juramento artis ſuæ neglectô, ut cœci ſpeculum, involantes, animas hominum impunè negotiantur. Hi ſunt, quibus probra illa & vituperia debentur? In hos cadunt omnia vanitatum portenta; quicunque in medicinâ abortus eſt & abominatio, is horum proprius eſt: cur ALCHEMIA aliena penſet facinora? Quin manibus impuriſsimorum hominum eam extortum & medicinæ rationali adſertum eunt pij magiſtratus, & pharmaca quæ vitæ hominum imperant à perditiſsimis nebulonibus, indoctisque ſeplaſiarijs tractari, vendi, exhiberi ſeverè prohibent: *Nullà ne lex quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ?* Illos rerump. moderatores prudentiſsimos modo imitarentur, qui de- Plin. l.29. c.1.

L prehen-

prehenſos in medicatione ultrà peram ſapientes ejusmodi ἀλλοτριοπράγμονας aſino averſâ facie impoſitos, caudam pro frænô tenentes publicum urbi ſpectaculum producunt, & dicacis popelli ludibrijs expoſitos cœnô, lotiô, & quascunque furor jocularius ſubminiſtraverit forijs delibutos ad corvos remittunt.

Palingen. Lib. zod.

O miseræ leges, quæ talia crimina fertis:
O cæci reges, qui rem non cernitis iſtam!
Vos quib⁹ imperiũ eſt, qui mũdi fræna tenetis,
Consulite humano generi: quot nocte dieq́,
Horũ carnificũ culpâ mittuntur ad orcum?

TIRONES verò ſcholarum medicarum monendi ſunt id, quod à Prometheo Satyrus; Cum enim ille ignem cœlo, ferulâ cavâ ad ſolis currum admotâ, in terras detuliſſet, hic verò rei novitate, pulcritudine, & ſplendore perculſus & allectus, ignarus tamen poteſtatis uſtoriæ, oſculari ignem vellet, ut mento ſuo caveret juſſus eſt: prurit ad novitates, quæ ſibi videntur, juventus, & ut ſuprà præceptores ſapere quid videatur

tur cerea eſt ad arripiendum uſurpandumq́; Chemica, parum vel de peritiâ & induſtriâ ejus qui præparavit, vel de fide ejus qui ſuggeſſit; vel de viribus ſæpè nondum ſat cognitis ſollicita; etiam famæ, quam inde captat, ob infelicem ſucceſſum falſa futura. Chemica ſine modo exhibentes & αὐτῷ τῷ θυλάκῳ non diſsimiles ſunt τοῖς ἐν ψύλλης δήξει θεοὺς ἐπικαλουμένοις, ἢ σμικρῷ ποδὶ μέγαλα περιτιθεμένοις ὑποδήματα, *in pulicis morsu deos invocantibus & parvo pedi magnos calceos aptantibus*. Ap.C.8.par. 45.&17,55. Chemica autem negligentes vel ignorantes Acco mulieri apud Samios fatuę, quæ σπόγγῳ τὸν πάτταλον ἔκρουε, *ſpongia clavum percutiebat*, ſimiles: quòd οὐχ βωμὸς ἔτος πρὸς τὸ ἱερόν, & morbi magni vulgaribus è vegetabilium censû impuris indigeſtis & imbecillibus non cedant; uti nec extremi morbi niſi ferro & igni: Utrique nec conſcientiæ ſuæ nec famæ ſat conſulentes: illorum enim temeritatem funera frequentia redarguunt, horum timiditatem depreciatio caſtigat, cum medicationis gloriam ab empeiricis &

 vetulis

Digitized by Google

vetulis ſibi eripi, ſæpèque ab his quos pro incurabilibus habebant morbos metallicis vehementibus expugnari indignabundi conſpiciunt: Et tunc contemtum ſui tandem ulciſcitur Alchemia, ut qui opinione profundiſsimæ ſapientiæ imperatores vitæ & necis fuerant ægrotis, jam trivialis ſcientiæ magiſtelli, & artis incertiſsimæ imperfectiſsimæq; profeſſores pompâ tantùm nitoreque Attalicô extùs inſignes & quod Italus quidam de Germanô è nobili familiâ juvene formosô, ſed linguarum omnium juxtà ignaro & ad quodvis quæſitum cum gravitate taciturno dicebat, EGREGIÆ BESTIÆ appareant. Mediô verò tutiſsimi eunt, qui in Hermeticâ medicinâ nonnihil laboris ſui collocant, artem Hippocratico-Galenicam Spageiricis operationibus exornant, & minerales etiam medicinas ad normam præceptionum Rationalis ſectæ adhibent. Ne autem ἐκ βίβλων κυβερνῆται [illegible] ſ *libris nautæ* ſint, ipſi Chemicorum elaborationi præeſſe, fumosque pulverulentias & ſordes furnorum Vulcaniorum perferre non Plin. l. 29. c. dedignantur, & ne alienis oculis agnoſcant, alieni

alienis pedibus ambulent, aliena memoria ſalutent, ſua ſibi inſtrumenta fabricantur, medicamenta in quibus vita hominum ſita eſt, & quæ indoctis pharmacopæis committere periculoſum, componentes ipſi, vel ſi fideles aptique huic negotio miniſtri contingant, modum præparandi diligentiſsimè præſcribentes, & crebrâ inſpectione labores dirigentes. Nemo enim dexteriùs compoſuerit medicamenta ſeu vulgaria ſeu Chemica quàm medicus, qui materiam remediorum, in quâ maxima differentia eſt, cognoſcit ſignis ſuis, & novit quô pactô utile ab inutili ſeparandum, & quid è quôlibet mixtô expectari debeat, & cui uſui quodvis deſtinaverit, ei laborandum præcipit. Contrà, ſi miniſtris committantur omnia eorumque arbitrio relinquantur, ſæpè fit ut medicamenta præſtantiſſima mutata corrupta aut vitiata autoritatem ſuam amittant, vel medici expectationi non reſpondeant, vel etiam ægro exitium pariant; ne quid de fraudibus lucripetarum pharmacopœorum conquerar. Fuit in ævô illô innocentiore eadem & benè medendi & ritè me-

 dicinas

dicinas parandi doctrina, neque disjuncti erant doctores qui vel mederentur tantùm, vel tantùm pharmaca pararent, niſi cum medicis ita placeret, vel ob magis neceſſaria alia, vel ſuppetentibus miniſtris, & cum ſine ægri detrimento fieri poſſet; tum enim unguentarios, herbarios, chirurgos admittebant: ſæpiſsimè tamen pharmacopæorum & chirurgorum munia obibant ipſi, ut gubernator navis ſæpè remigare aut malum conſcendere; imperator & arcu uti, & jaculari, & pugnare gladio haſtaque conſpicitur. Quin & ipſi vel ab alijs deſcriptas, vel à ſe inventas antidotos præparabant: PACHIUS ANTIOCHUS auditor Philenidis Catinenſis HIERAM clauſus, nemine ſpectatum admiſſo, quod magnos ex ea quæſtus faceret; ÆSCHRION Empeiricus, Galeni præceptor, domi ſuæ medicamentum è cancris contrà rabidorum canum morſum: GALENUS theriacam, quam à Demetrio confici viderat, jubente Imp. Antonino, pòſt & Severo: FERNELIUS remedia quæ amicis periclitantibus exhibebat non patiebatur vulgò in officinas abire, ſed domi vel

6. epid. ſ. 5.

Scrib. Larg9 de comp. med. c. 23.

Plant. in vitâ Fern.

vel parabat ipſe, vel amicorum paucorum fidei concredebat; ut valdè imperiti ſint & iniqui, qui medicum, ſi medicamenta componat ipſe, præſertim ſecretò, traducere, & ob id, quo laudem meretur, culpare præſumunt. Quin & valdè ſimplices & rerum humanarum hoc quidem tempore ignari videntur medici illi, qui ſi quæ πατροπαράδοτα vel αὐτοπυρπόντα uſu probata habent, ea pharmacopæis communicent: Ea enim hominum ingratitudo eſt, ut, quod à medicis docti ſunt, eô ipſi contrà medicos utantur, eosq; ſæpè, quorum tamen pedibus & manibus ſalutem ſuam debent, dum ægrotis, pro inſigni ſcilicet captû ſuô, furtiva iſta propinant, ſoſtro defraudent.

At medici munus multò ſublimius eſt, inquis, *magis neceſſaria eum fatigant, quàm ut ad furnos Chemicos deſidere poſſit: Non ſunt pro maieſtate medici operationes iſtæ & χειρωναξίαι viles; turpe eſt vitæ humanæ præſidem caminum olere, & quem elegantia amabilem venerabilemq; reddere debebat ſordibus*

dibus culinariis carbonariiſque atroribus fieri abominabilem. Elegantia & gravitas medicum quàm maximè commendat, amoremque & confidentiam, cui & ſuæ in curatione partes, ægroto aliquam ingenerat; ea tamen nec abſolvit medicum, nec per encheiriſes chemicas corrumpitur. Fuci, moſchum ambramque ſpirantes ſumtuoſæ veſtes, chirothecæ zibetâ delibutæ, calcei Sicyonij, gemmarum in digitis fulgores, ſuſpenſa de collô patrimonia uniones & torques fœminarum inſaniam potiùs oſtendant & Aſiaticos delicatorum Sybaritarum mores, quàm viros graves venerandumq; medicum. Reverâ ineptiſsimi odioſiſsimique illi ſunt & verè τραγικοὶ πίθηκοι, qui ſolis titulis, σεμνῶν ὀνομάτων κομπύμασι, veſtitû, faſtuoſo ſupercilio & moroſa
Gell. l.9 c.2. triſtitiâ, ut illi olim barbâ pallio & baculotenus philoſophi animalia ſpurca, inceſſu, voce, geſtibus ad gravitatem quandam fictis autoritatem & famam aucupantur,

Quorũ doctrina eſt pretioſa in veſte videri
Gemmatoq; auro digitos ornare cinædos.

Julianum

Julianum Imp. audirent, *turpe eſſe ſapienti, ajentem, cum animum habeat, captare laudes ex corpore:* vel Alphonſum Neapol. & Siciliæ regem, *malle ſe moribus & autoritate regem videri, quàm diademate & purpura.* Ille è veteribus malle ſe tunicam dicebat, neque longam nimis, quæ impedimento eſſet, neque nimis curtam quæ dedecori, nuditatemque detegeret; & aliàs *feſtinata nimis & nimis etiam accurata culpâ non vacare* Politici oſtendunt; Medicus qui vulgi famam perpetuò contemnit, ut juſsit GALENUS, uni veritatis ſtudio ſe dedit, unicum ægri commodum ſpectat ſuæ arti fidens, in hiſce neque nimius erit neque parcus, ſed generoſitatem ab arte omnium dominâ acceptam moderatâ popularitate temperabit. Et quomodo majeſtatem medici illa polluent, quæ boni publici, ſalutis hominum gratiâ ille ſic non abominatur & quæ ſectatur? Agit quod juſſus eſt; agit quod opus eſt; agit quod ſalvâ exiſtimatione poteſt; agit quod ſalvâ conſcientiâ omittere non poteſt, & quod pars ſua-

Pica. obſ. 2. hiſt. pol. dec. 2. l.

7. m. m.

rum curarum maxima & maximè neceſſaria eſt; neque dum hoc agit, ſuum non agere, vel otiari dicendus eſt, ſed curas ſeveriores honeſtis delicijs & jucundis Naturæ luſibus temperat, neque in neceſſaria officij parte deficiens, neque in minus neceſſariâ abundans. Præterea ſuperficiariæ illæ ſordes ſunt, quas carbones adfricant; licet cum in publicum prodeundum eſt, veſtem mutare: vaſa vitrea, terrea, metallica, pyragras, forcipes, folles, ignitabula, ſpatulas, ſiphunculos, cochlearia, ſcopas, flabella, manicas, lacinias ſeponere: denigratas manus aqua purgabit; pulveres cineresque excutia ſeparabit; maculas ſpongia delebit, capillos intricatos pecten diſcriminabit: Plura ſunt multò abjectiora, quæ ſenſus medicos ſordidiùs adficiunt. Quid enim tætrius purulentia carcinomatum, ulcerum verminoſa putidaq; ſanie, bubonum peſtilentialium halitibus? quid fœdius alvinis fæcibus, quid fœtidius pulmonis purulenti & in ichorem corruptum reſoluti vel per os tuſſi, vel per ſternon pertuſum, quod nuper admodum HOFI Variſcorum vidimus, ad

motos

motos pulmones cum aëre fruſtrillatim & inſtar carnis ſemeſæ efflatu & excuſione? quid turpius ſudoribus, & vomitibus, quid obſcænius urinis, menſtruis, crepitibus? & hæc tamen omnia medico practico conſpicienda, percipienda, conſideranda; nec ejus majeſtati tantillum derogant; multò igitur minus inquinamenta iſta in Naturæ templô ſacra facienti obvenientia. Sed attendite, quæſo, AUDITORES OPT. & veſaniam judicum horum perpendite: Illas medicis quaſi quotidianas ſpurcitias, ob quas etiam σκατο-φάγοι, οὐροπόται τι vulgò vocantur, quæ tamen officere eorum dignitati & nitori non putantur, ne è plebe quidem aliquis rupico ſine nauſea ſuſtinuerit; eas verò, quæ ipſum dehoneſtare, falsò tamen creduntur, etiam reges maximi & generoſi ſpiritus viri fuêre ſectati. *Reges Abarach*, ne vetuſtiores repetam, deſtillationis arte fuere ſummopere delectati. *Robertus Neapolitan. & Eduardus Angliæ* R.R. ejus profeſſores in ſummo habuêre preciô & inter familiares; Indiarum reguli eam exercent: multi *Italiæ principes* ab H.Rubeo

 philoſo-

philoſopho & medico Ravennate recenſiti ſunt in ea ſummâ cum voluptate verſati. *Coſmus Medites* magnus Dux Hetruriæ, *Hercules & Alphonſus* Eſtenſes Ferrariæ Duces, *Franciſcus Valeſius* Rex Galliarum, *Octavianus Languscus*, alij. Neque hoc noſtrum ſeculum tàm delicatos dedit nobis megiſtanas, quos furnulorum, docimaſtices, fuſoriæ, & deſtillatoriæ ſimiliumq; liberalium machinamentorum pigeret, puderet ve. Auguſtiſsimum caput, RUDOLPHUM II. ſacratiſsimæ memoriæ IMPERATOREM quidni commemorem VOBIS, AUDITORES? Silebo univerſo orbi nota, excellentia ſingula, Invictiſsimi principis ſtudia, pictoriam, torneatoriam, cœlatoriam, fuſoriam tormentorum, horologiorum & aurifabrilem; menſa gemmea eo artificio & muſivo opere elaborata, ut gemmæ ſibi invicem commiſſuris viſum effugientibus unitæ ſilvas, arbores, flumina, flores, nubes, animalia variasque rerum pulcerrimarum formas ita referant ut ad vivum depictę videantur, octavum orbis miraculum, ſtupendi ingenij machina: &co-

Anſel. Boethi præf. l. de gemm.

& corona ex adamantibus, unionibus, rubinis, aurôq; purô aliquot centenis aureorum millibus conſtans; item torques è præcipuis gemmis concinnatus precio coronam ſuperans fidem facit. Quidni recenſeam quorum ipſe indignus ſpectator non unâ vice fuit. Erat auguſtiſsimo Imperatori quaſi diarium in ſcientiarum amabilem locum, LABORATORIUM vocant, ſtipantibus conſiliarijs & medicis ſuis CROLLIO & RULANDO, meo dum viveret amico OPT. MAX. ſe conferre, noctiumque ſingularum labores & ſucceſſus ab artificibus & foculorum miniſtris diligenter exigere: Vidi ſacratiſs. EJUS MAJEST. ſi quid minus ex ordine diſpoſitum conſpicaretur componere, & carbonum pulviſculos vaſis & fornaculis inſtratos rhinomactri ventilatû diſsipare: Et medicus aliquis plebeius, quem officij partes & conſcientia jubent benè præparare medicamenta poſſe, opinionem majeſtatis ſuæ nitidâ cuticulâ tantoperè adfectet? Ego verò ut & hac à parte tandem conſummatum faciam habeamq; medicum, non poſſum non ipſi ſoli medicamentorum

artificioſa ſapientia, quæ ab igne eſt, apparandorum curam unicè commendare. Καὶ ταῦτα ἐκ περιπάτου, καὶ ἐν παλλαδίῳ ἐκεῖθεν. Et adhuc dubitabitis, AUDITORES, Alchemiam ad medicinæ perfectionem maximè facere, decere etiam medicum, eumq; in contemplatione rerum naturalium, & præternaturalium cognitione, dignotione, prænotione & curatione omnibusq; adeò officij ſui partibus plurimùm adjuvare, multòq; certiorem reddere? O infelices igitur illos, qui hac duce & luce non ambulant! Tantùm enim non hi Andabatarum more ubique circà externa rerum tegumenta controvertunt, & vitreum vas inſtar vulpeculæ Æſopicæ in convivio gruino lambunt, pultem & medullam ſuaviſsimam non attingunt. Præclarè clariſsimus ZUINGERUS, eos qui res vulgari modô & notis à veteribus traditis ſapore, odore, colore & alijs cognitas haberent, eorum ſimiles eſſe dicebat, qui palatium aliquod magnificè extructum extrinſecus cernerent, in atrium verò non reciperentur: at qui ſolerti & Chemicâ partium reſolutione intima quæque ſcrutarentur, eos

planè

planè referre, qui in penetralia palatij admitterentur otiosè cuncta minima - maxima ſpectaturi.

Neque verò, AUDITORES OPT. dum Hermeticæ medicinæ & Chemiæ neceſſitatem demonſtro, fraudi id erit venerandæ antiquitati Dogmaticæ; aut dum Theophraſti Paracelſi quædam probo, Hippocratis & Galeni quæ ſunt improbare cenſendus ſum. Non enim, juxtà proverbium Gallicum, *D. Petrus detegitur, ut tegatur D. Paulus.* Amica utraq; factio, quà bona & vera docuit; tàmque diu à partibus utriusque nobis ſtandum, quàmdiu utraque illa à Veritatis. Pium eſt in Eccleſia Judaica Thalmudiſtarum ſtudium, qui RISCHONIM ſuos ſeu priſcos ſapientes *cor habuiſſe,* ajunt, *ſicut porticus templi portam, at poſteriores ut foramen acus; & meliorem eſſe unguem priſcorum, quàm ventrem poſteriorum:* Hiſce nihil concedimus ſanæ Vetuſtatis admiratores & diſcipuli: Illi enim majores noſtri ad veritatis indagationem atque conventionem magno animo atq; excelſo per ſalebras tenebrasq; iter ſuum (Buxt. comm. maſoreth. c. 11. è l. Erubhin. c. 5. è l. Ioma c. 24.)

conten-

contulerunt, ut quo poſſent modo præluce-rent nobis: quare non erunt illorum manes, penè dixerim deorum cultu celebrandi? *Nam ſi barbaræ quoque nationes communi conſensu, publicis ſcitis, etiam ſervorum ſepulcra religioſa eſſe voluerunt: quibus honoribus ſapientum nomina decorare ſatis:* quâ religionis pietate ergà illorum monumenta defungi poterit animus non ingratus?

Eccleſ. 8, 10. *Qui ſepem diruit, eum mordebit coluber?* Servilis tamen Vetuſtatis obſervantia, quàm ne ipſa quidem ſperavit aut injunxit, & cum contradicere poſsis, erroremq; notare, vel ſilentium vel ex adfectu cœco nata opinativa adprobatio vim facit veritati, & lumen mentis à ſincerè judicando avertit. Peſsimum & ad omnem falſitatem via factum Judaicæ Synagogæ id Thalmudiſtarum edictum fuit, quô

l. Sanhedrin. c. ellu hem. Porcetus parte 2. c. 15. *ſi dixerint ſcribæ dextram eſſe ſiniſtram & ſiniſtram eſſe dextrã, audiendos eos: &, plus eſſe in verbis ſcribarum quàm in verbis legis* ſancivêrunt; ſuorum hachamim ſeu hagaonim miſchnajoth & peruſchim, legemque oralem

[illegible] divinæ; ut in negotio noſtro Buxt. recenſ. op. Thalmudiſt.
aliqui autoritates rationi & veritati, præponentes. Caſtigare licet, errata monſtrare, & refellere ſtudio veritatis; atq; etiam expedit, imò neceſſarium eſt; ſed ſine morbo animi: nec Galenus ipſe Hippocrati, ſi quâ in re pro Valler. Enar. med. 2. l. 5.
humani ingenij imbecillitate lapſus illi fuiſſe viſus eſt, pepercit, ſed veritatis etiam contra præceptorem, quem divinum hominem appellare conſuevit, patrocinatus eſt. Et idem hodiè non liceat? *cum tamen nulla adferri poßit ratio, cur ingeniorum laus nunc ſit inferior. Paracelſo igitur*, prodromisq́ue & o- Fernel. præf. l. de abd. rer. cauſs. l. 2. Ep. m. Sch. p. 272.
pisthodromis medicis Hermeticis alijs (Zuingeri Patris verbis) *experientiæ nomine multum tribuo, quandoquidem multa præclara medicamenta in neſcio quibus Cyclopum antris deliteſcentia ſi non à ſe inventa, ſaltem exculta in lucem protulerit*: neq; debeo neq; volo vituperare, quòd quædam præcla- Barth. l. d. p. 134.
rè invenerit atque operatus ſit; hanc laudem illi non invidente Galeno ipſo, qui *nihil quidquam detrahi veterum gloriæ*, ſcripſerat, *ſi*

 & iu-

& iuniores aliquod ſui profectus ſpecimen edant: addunt enim ſolum ijs, quæ veteres invenere: ſemper autem maior laus invētionis, quàm complementi: ut pateat Chemiatriam Hermeticam non adeò debere eſſe exoſam Galenicis: Nihil enim detrahit arti, ſed potiùs eam juvat et declarat. *Unde quæ ab illis ſincerè inventa facta iudicataq; ac vera cognoſcimus, abſit à nobis ut ea contemnamus;* quin potiùs profectum inde beneficium grato animo agnoſcamus. *Bombaſtum autem, pompaticū, & complices* novitatum magnaliumq; buccinatores deliros Galeni patrimonium *arcem medicinæ deiectis veteribus invadentes non æquiori animo ſuſtineo, quàm tyrannidem adfectantem Cylonem Athenienſes.* Et quis ferat hominem linguarum philoſophiæque ſanioris rudem medicinam veterem ſpernere, novam nihilo meliorem è furnis fabricare & ſine ſuffragio ſibi monarchiam medicinæ omniumque artium arrogare auſu non diſsimili illi, quo famoſi quidā novæ Didactices ſomniatores linguarum

Libav. tyro art. med. Hipp & Herm.

artiumq; , quas nec didicerunt ipſi, docendarum diſcendarumq; modos, à conſuetis alios parturiunt oſtentantque & phantaſticâ quadam luminis gratiæ & naturæ harmonia, hactenꝰ orbi univerſo, ſpem mirandorum multorum facientes, ſed ſpem tantùm, impoſuerunt: Quos tolerabile foret eruditos non eſſe, modò ſe non eruditos eſſe ſcirent, & dominatum in regno literario, ad quem tàm apti ſunt, quàm ad lyram aſinus, non adfectarent. Sed, prô dolor! ita jam comparatū eſt, *ut quò quisq; eſt indoctior eò imperioſius nemini cedens maioriq; cum indignatione & ſævitiâ ſtoliditatem ſuā perdoceat*. Philoſophi Rhetoresque olim à majoribus noſtris urbi pulſi ſunt ob ſuſpicionem non maleficæ ſed novitiæ doctrinæ: nos Tarquinios iſtos impunè graſſari patiemur? Quis ſine ſtomachô legat hominis impudentiſsimi virulentiſsimas in *Ariſtotelem, Plinium, Galenum, Avicennam, Rhaſin, Meſuem, Montagnanā, Medicos Mompelienses, Pariſinos, Patavinos, Viennenses, Lipsenses*, invectivas? quis ſine

dolore audiat calumnioſas inſanæ bacchæ voces, quis ſentiat ſine motu malετractationes atrocißimas virorum benemeritißimorum, quos non Profeſſores veritatis ſed mendaciorum confeſſores eſſe rudit? *Hoc ſit vobis dictum,* (Galeni ſectatores allatrat) *ſtultißimus pilus occipitij mei plus ſcit, quàm vos & omnes veſtri ſcriptores; & calceorum meorum annuli ſunt doctiores, quàm veſter Galenus & Avicenna; & barba mea plus experta eſt quàm omnes veſtra Academia: quin & horam ipsam ſentiam quando ſues vos in luto trahent:* Os impurißimum! Neq; liberaliùs eosdem hodièque tractent κακοῦ κόρακος κακὰ ὠὰ Paracelſitæ ſtelliones, quos aulis Principum (ubi ferè ſolet eſſe ſcelerum iſtiusmodi impunitas, & ad novitates quasvis pruritus peſtilens) & pleriſque rebuſp. callidè irrepere, chimæricas ſuas fatuitates perplexitateſq; Pythonicas in medicinam inferre, eam abſurdis paradoxis contaminare, & genuinis medicis nequiter detrahere, eosdem deſpuere & vilitare; ſuum verò Cacophraſtum Bom-

baſtum

baſtum omnibus omninò præferre & ſuprà omnem antiquitatem ſeculíque noſtri excellentiam collocare quaſi inter deorum genua dormierit & nuper è tertio cælo deſcenderit ille, experimur. Lenonum Paracelſicorum, terræ filiorum, fabuloſas narrationes.

Auditum admiſſi riſum teneatis amici?

Puteum Benzevolii vocare ej⁹ doctrinã NATURALE EVANGELIUM: Sabeum Dacum & Tarbuetum Ariſtotelem & Galenum Paracelſo collatum eſſe inſtar carbonum extinctorum ad accenſam lucernam. Valentino de Rheтijs & ſive cognomini huic, ſive eidem, Antrapaſso Silerano, Adamo à Bodenſtein, Dornæo, Toxitæ, Crollio, Scheunemanno, *libros ducentos & triginta in philoſophia, quadraginta ſex in Medicinâ, duodecim de Republica, ſexaginta ſex de artibus occultis, ſeptem in Matheſi* eum ſcripſiſſe vanè jactantibus.

——— *credat Judæus apella: Non ego.* Quis credat in circulis hominum ſordidiſsimorum, viliſsimorumque vagum, & haram merumq; rus olentem divino ne-

gotio, reformationi medicinæ natum, aut nequiſsimum magum vacerramque ebrioſum rem DEO gratam de valetudine mortalium, benè merendi ſtudium tractare potuiſſe? Ut jam juſtô dolore motos viros clariſsimos *Copum, Eraſtum, Cratonem, C. & L. Hofmannos, Scherbium, Libavium, alios*, anti-Paracelſica, anti-Gramanias, ant-Amyvaldiana, anti-Scheunemanniana, anti-Crolliana, ſcripſiſſe, idque alicubi acerbiùs, mirari non debeamus; ſed potiùs Bombaſteorum lucifugarum deliramenta maſculè refellere, temeritatem publicè explodere, impoſturas detegere, magiam impiam execrari, inanes glorias confundere, analogias & ſymboliſmos cum modis cauſisque ſuis inquirere, ænigmata doctrinæ utilia explicare, vocum monſtroſarum licentiam refrænare, & ſub his per invidiam occultata ſcitu digna evolvere & propalare: Et tamen, quia hujus rei modus quidam & ars eſt, ne fiat, quod in veteri fabulâ eſt, *Thracius ruſticus*, qui cum vicinum putantem vites, oleasq; vidiſſet, ipſe à ſtirpe omnes incidit; *Omnia probare, quod bonum eſt, unice*

Lipſ. ſat. Menipp.

nicè tenere oportet. Dactylos comedi & duritiem eorum proieci foràs: Malogranatum inveni, quod intus eſt comedi, corticem verò abjeci: *Faciamus nos ſimiliter de doctrinis & dictis magiſtrorum.* Galat.l.1. de arc. Cathol. ver. c.7. è thalm.l. Haghiga.

Stulta hac invidia eſt cui cuncta recentia ſordent:
Invida ſtultitia eſt cui nova ſola placent.

Unum corpus ſumus, unuſque ſpiritus hujus corporis, qui à DEO profectus pro communi excubet utilitate: ſuam cuique laudem laborum præmium & relinquamus libenter & concedamus cumulatè & deferamus liberaliter. Fontes ſuos quiſque derivemus foràs, & lychnum accenſum, ſub modio nulli uſui, publico exponamus; abſint arrogantia, contemtus, detractio, contumeliæ artium præclararum peſtes: Scal.Ex. ibo/. l.5.

Quod ſapimus conjungat amor; quod vivimus, uno
Conſpiret ſtudio: nil diſſociabile firmum eſt:
Nil placitum ſine pace DEO.

Quod ſi exutis maledicentis Ignaviæ ſignaturis è FUCIS ſtrepitu moleſtis in APES transformemur, & piô amore mutuiſque officijs repudiata multitudine & fornicatione, in unionem & mellificium conſpiremus Dogmatico

tico Spageiricum; non eſt dubium quin juxtà alias in occulto adhuc deliteſcentes ſcientias *antiqua illa vera & philoſophica medicina*, corruptiſsimi ſeculi indignitate nondum planè manifeſtata (tantùm enim micarum reconditæ philoſophiæ de menſis magnorum artificum decidentium facti ſumus participes) brevi, favente Numinis gratiâ, univerſa producatur, cū ſaluberrimo generis humani commodo & ſummo Spageiricorum per Germaniam medicorum honore, quorum operâ miſericordiſsimus DEUS ad ſalutare hoc negotium conficiendum uti voluit: *Quod faxit SS. Trinunitas, cuius nomen ineffabile in ſecula ſit benedictum:*

DICTUM
Geræ Ruthenicæ, D. 14. Jan. Jul.
cIↃ IↃ CXIX.

Digitized by Google